

Imprimatur:

ea tamen sub conditione, ut, simulac dissertatio haec typis excusa sit et antequam divulgetur, septem exemplaria, quae secundum jussum supremum distribuenda sunt, administrationi Universitatis, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati, d. xvii. Jun. MDCCCXVI.

Daniel Georgius Balk,

Medicinae et chirurgiae Doctor, Pathologiae, Semiotices et Therapiae Professor P. O., instituti medico-clinici, instituti, quod asphycticorum curam gerit, nec non collectionis pathologicae Director; a consiliis collegiorum etc.

Censor.

F r a t r i o p t i m o

hasce

studii academici primitias

in animi gratissimi symbolum

D. D.

auctor.

D 20198

L e c t u r i s .

„Ego certe, si ullam in rebus medicis doctrinam scitu perquam necessariam et utilem, hanc ipsam de consensu fructuosam judico.“ Frid. Hoffmann de consensu part. nervos. — Opera omnia. T. I. cap. V. p. 319.

Sat cito, sed non sat bene, ut illo Catonis pro me utar, ad scribendum accingitur medicus tiro, cui, a palaestra academica digredienti, imponunt leges, semel saltem prelo committere studii academici specimen quoddam. At vero jam Reil in opusculo de polycholia, quod primo editae dissertationis complementum esse voluit, ita quæritur: Ambitus medicinae, aliarumque discendarum artium tam amplus est, ut triennium academicum minime sufficiat, quidquam bonae frugis literis mandare. Ad haec enim, ut monet Hippocratis lex, longi temporis industriam accedere necesse est, quo artis medicae disciplina veluti gravidata, feliciter, et bene crescendo, maturos fructus efferat.

— Quamobrem nemo exspectet, ut denuo fideliter repetam, quae in prolegomenis passim obviis, de themate dissertationis adeo difficulter et eligendo, et elaborando, de virium scribentis tenuitate, de curta tironis suppellectili, et similia occurrunt. Haec quidem omnia tantum veritatis habent, ut, lectorem sat superque de his edoctum invenire, sit, quod confidam. Neque vero talia commovebunt illos, quibus fortassis duro iudicio dejicere imbecilla ingenia magis, quam mitiori stimulare in deliciis est. —

Sed primum oportet vires periclitari. — Sunt enim verissime dicendi terque quaterque beati paucissimi illi, quibus opere omnibus numeris absoluto prodire prima vice contigit. —

De dissertationis vero ipsius argumento nil est, quod afferam. — Namque conscius ipse debilitatis, majori succumbere oneri, quam minori, gloriosius duxisse lubens fatetur auctor. —

Sectio prima,

exhibens

generaliora quaedam de sympathia.

1) Quamprimum morbis accuratius observandis, illisque arte tollendis operam navarunt homines, inde sympathiae phaenomenon, licet alio nullove nomine insignitum, agnitum fuisse defendi potest.

2) Profuerunt autem quam plurimum huic semper doctrinae severissimorum medicorum, quorum principes jam prisca tulit aetas, accuratissimae observationes, earumque adnotationes ¹⁾.

3) Contra vix parum, si singulas excipiamus observationes, centenae illae, diversissimis

1) Conf. H. F. Bursy diss. inaug. „animadversiones historico-criticae in doctrinam de consensu, antagonismo, et antenergia. Dorp. 1815.

inhiantes speculationibus atque nugis, tam antiqui, quam nostri temporis scholae in hac doctrina praestiterunt ²⁾).

4) Definitione non indiget sympathia. — Placent tamen descriptiones ad mentem Gaubii concinnatae ³⁾).

5) Distinctiones sympathiae multiplices, quales Victor Trincavella ⁴⁾, Bausner ⁵⁾, Rega ⁶⁾, Whytt ⁷⁾, Tissot ⁸⁾, Wedekind ⁹⁾, Brandis ¹⁰⁾, Hufeland ¹¹⁾, Hunter ¹²⁾, Pfaff ¹³⁾, Bichat ¹⁴⁾,

2) ibidem.

3) H. D. Gaubii instit. patholog. medicinal. Leid. Bat. 1758. §. 99, 178. conf. Frid. Hoffmann resp. Gumprecht — de consensu partium Hall. 1717 proem. p. 3. —

4) Opera omnia „de ratione curandi particularia h. c. affectus. Lib. II. p. 18, 19, ed. Venet. 1599. Fol.

5) De consensu partium c. h. Lib. III. Amstelod. 1656.

6) Tractatus medicus de sympathia. Frkft. 1762. p. 2. 3.

7) *Sämmtliche practische Schriften aus d. Englischen.* Leipz. 1771. S. 257.

8) *Sämmtliche Schriften übers. von Kerstens.* IV. Thl. Kap. X. S. 383, 394.

9) *Diss. de morbis primarum viarum etcet. praemio ornata* Norimb. 1797. §. 51 — 58.

10) *Versuch über die Metastasen.* Hanov. 1798. S. 29. 30.

11) *Pathogenie.* I. B. Jena 1799. p. 277, 278.

12) *Augustin's neueste Entdeckungen.* 3ter Jahrgang. Berlin 1800. S. 175.

13) *Grundriß der Physiologie und Pathologie.* I. B. Kopenhagen 1801. S. 258. 301.

14) *Allgemeine Anatomie,* übers. v. Pfaff. Leipz. 1802. I. Thl. I. Abthl. S. 263. II. Thl. II. Abthl. S. 48. 51.

et plures alii proposuerunt, absque scientiae damno praetermittendae esse videntur, cum maximam partem sint tales, ut non solum non claritatem hujus doctrinae pariant, sed potius controversiarum, atque perturbationum facillime praebeant ansam.

6) Unam igitur eandemque in corpore humano sive sano sive aegrotante adesse defendo sympathiam, quae quidem particularis ¹⁵⁾, naturalis ¹⁶⁾, actionum ¹⁷⁾, et certo ordini semper consentanea, pro varia organorum, stimulorum, aliarumque circumstantiarum ratione modo consensus, modo antagonismi, aut actionis vicariae speciem prae se ferat, necesse est.

7) Partes per totum undique corpus diffusae, scilicet vasa nervosque, sympathiae tam late patienti explicandae prae ceteris aptas visas esse, sane non mirandum est. —

8) Adparet autem, tentatam esse primis temporibus e vasorum communione sympathiae explicationem. Qua quidem inter alios usi sunt

15) Hippocrat. opera omnia (ed. Foës. Genev. 1657) de fractis. p. 772, 26. de articul. p. 823, 29. de morb. vulg. Lib. VI, sect. 5, 17. — conf. Sprengel pragm. Geschichte der Arzneikunde. Hall. 1800. I. Thl. S. 398.

16) conf. Bichat l. c. I. Thl. I. Abthl. p. 259.

17) conf. Herm. Boerhaave in praelectionibus de morbis nervorum. Frkft. 1762. T. II. p. 422.

Hippocrates ¹⁸), Aristoteles ¹⁹), Ahrum et Serapion Arabes ²⁰), Mondini de Luzzi ²¹), Bauhin ²²). Insuper conferenda hic est litis, inter medicos sat diu vigentis, elegans expositio, quam nobiscum communicavit Sprengel ²³).

9) Attamen nervis praecipue in explicandis sympathiae phaenomenis confidit longe pars major auctorum. Quorum e numero sunt: Cassius, Jatrosophista ²⁴), Laurent. Valla ²⁵), Mesue ²⁶), Th. Willis ²⁷), Raym. Vieussens ²⁸), Morton ²⁹),

18) Aphorism. V. 31, 68, VI. 31, 36, VII. 46, 48, coac. praenot. 294, 346, 394, de nat. hom. Sect. III. p. 229. de aere loc. et aquis S. III. p. 293. de victu acut. S. IV. p. 387, 396, de loc. in hom. S. IV. p. 420, de affect. S. V. p. 516.

19) Opera omnia T. II. de hist. animal. Lib. III. cap. IV. p. 244 (ed. Duval. Paris. 1654.)

20) Sprengel l. c. II. *Zhl.* p. 355. 367.

21) Idem l. c. II. *Zhl.* p. 565.

22) Theatrum anatomicum. p. 336, 338 (ed. Frkfrt. 1605.

23) l. c. III. *Zhl.* p. 45—74.

24) Sprengel l. c. II. *Zhl.* p. 118.

25) Augustin's neueste Entdeckungen. II. Jahrgang. S. 180.

26) Sprengel l. c. II. *Zhl.* p. 429.

27) Cerebri anatome, nervorum usus et descriptio. p. 168, 178, 185, 197, 210 (ed. Lond. 1664.)

28) Neurographia universalis. p. 341, 347, 350, 356, 360, 365, 370, 376, 379, 394 (ed. Frkfrt. 1690.)

29) Opera omnia „de morb. acut. universalibus. p. 15. (ed. Genev. 1727.)

Frid. Hoffmann ³⁰), Herm. Boerhaave ³¹), Rob. Whytt ³²), Hartley ³³), Tissot ³⁴), A. Unzer ³⁵), Frid. Meckel ³⁶), U. G. Schaeffer ³⁷), Humboldt ³⁸), Ch. E. Schmid ³⁹), Reil ⁴⁰), Treviranus ⁴¹), Walther ⁴²). Nullus dubito, quin huc quoque referam Stahlinae theoriae circa sympathiae doctrinam asseclas, inter quos Platner contra Hallerum et Unzerum plura acutissime

30) Opera omnia. T. I. p. 309 conf. ibid. p. 316 (ed. Genev. 1748. Fol.)

31) Praelectiones de morbis nervorum. T. II. p. 423.

32) l. c. p. 267, 269, 272—282.

33) Betrachtungen über den Menschen u. f. w., übers. von Historius. Rostock 1772. I. B.

34) l. c. §. 2, 3, 4.

35) Erste Gründe einer Physiologie. Leipz. 1771. S. 121. 162.

36) Diss. de quinto pari nervorum cerebri. Goett. 1748.

37) Versuche aus der theoretischen Arzneikunde. II. Theil. S. 83, 101. Nürnberg. 1782.

38) Versuch über die gereizte Muskel und Nervenfaser. I. B. S. 231. Posen 1797.

39) Physiologie. 3r. B. p. 388. Jena 1801.

40) Diss. inaug. de organorum c. h. tam energia, s. activitate interna, quam cum organis sociis connexione s. sympathia resp. D. Veit. Hall. 1797. in Reil's Archiv für die Physiologie. 2r B. S. 505. seq. conf. Ejusd. Archiv 2r B. S. 109. Ejusd. Fieberlehre 4r B. S. 27.

41) Neue Untersuchungen über Nervenkräft, consens u. f. w. Hanov. 1799. physiologische Fragmente. II. *Zhl.* Nr. 2. Ejusd. Biologie 3r B. p. 541. Goett. 1805.

42) Physiologie des Menschen. 2r B. S. 247. Landsh. 1808.

protulit, aperte fassus, nullam cerebri in consensu vim esse posse sine sensu, aut sine animo 43). Verum animadvertendum est, in duas praecipue partes quoad hanc, nervorum ope, sympathiae explicationem discessisse auctores: Fuerunt enim, qui in conjunctione originum nervorum, in cerebro, item que alii, qui in anastomosibus ramulorum nervorum fundatam esse sympathiam contenderent. Quae quidem distinctio primum, ni fallor, a Dureto in lucem prolata 44), postea sub forma quartae quintaeque legis Hallerianae prodiens 45), multas per sat temporis controversias excitavit, quarum utrinque participes Tissot, neque tamen ipse neutrius partis, enumerat 46). Adjungendum tamen adhuc est, parum sufficere in hac re systema nervorum ipsissimis eorundem defensoribus 47).

43) De causis consensus nervorum physiologicis. Lips. 1790 in Ludwig script. neurol. T. II. p. 266 seq.

44) Interpretationes et enarrationes in Hipp. coac. praenot. p. 117, 2. 210, 60. 268, 42. 457, 5. (ed. Chrouët Lond. 1737. Fol.)

45) Haller's Grundriß der Physiologie, übers. von Fr. Uden. Berlin 1781. §. 568.

46) l. c. p. 385. sequent.

47) Conf. Whytt. l. c. p. 271. 285. Tissot l. c. p. 376, §. 2. 391 No. 5. Schaeffer l. c. Reil tractat. de polycholia. Hallae 1782. T. I. p. 28. 31. Wedekind l. c. §. 51. not. * Humboldt l. c. Gall's Untersuchungen über Natur u. Kunst

10) Verum quae modum atque partes, quibus praecipue insistere videtur natura in sympathiae phaenomenis, reliquis melius nos docent leges, ad nostra usque tempora merito tenuere principatum; puta illae immortalis Halleri 48). Namque unus hic antecessorum quasi omnium meliora circa hanc doctrinam cogitata suis comprehendere legibus voluisse videtur, id quod vel e comparandis solum Galeni 49), Vict. Trincavellii 50), Dureti 51), Laz. Riverii 52), M. Ettmülleri 53), Riolani 54), Baglivii 55) operibus abunde elucet. Adsentiuntur autem, paucis mutatis, inter alios legibus Hallerianis Fr. Delius 56), Langhans 57), Rahn 58),

im kranken und gesunden Zustande. Wien 1791. S. 631. Schmid l. c. p. 389. Autenrieth's Handbuch der Physiologie. Tüb. 1802. III. Thl. §. 1030 ad fin.

48) Conf. citat. No. 45.

49) Opera omnia. T. III. p. 463, col. r. (ed. Basil. 1542. Fol.)

50) l. c. de rat. cur. part. c. h. affectus Lib. II, p. 17, col. II. a.

51) l. c. p. 7, 16, 53, 7. 160, 34. 411, 67. 68.

52) Opera medica. p. 32, (ed. Lugd. 1698. Fol.)

53) Opera medica theoretico-practica „de morbis consensual. c. II. p. 201. (ed. Westphal. Frkfrt. 1697. Fol.)

54) Opera anatomica. p. 657, 661, (ed. Lut. 1649. Fol.)

55) Opera omnia. p. 342—348. (ed. Antwerp. 1734. 4.)

56) Dissert. de consensu pectoris cum ventre. Hall. 1743. 4.

57) Diss. de consensu partium. Goett. 1749.

58) Diss. de miro inter caput et viscera abdominis co-

Gaub 59), Gall 60), Roose 61), Hufeland 62), Pfaff 63). — Neque tamen reticendum hoc loco est, Tissotium, Whyttii praecipue argumentis fultum, Hallerianas evertere leges conatum esse 64). — Ignoscant virorum clarissimorum manes imperito adhuc artis tironi, non nulla, quantulacunque sunt, hic in medium proferre auso. — Primo quidem in considerationem venit, num opii injectiones in animalibus institutae, aut caput abscissum, aut discissa medulla spinalis, quibus omnibus mox tolli sympathiam, experimenta docuerunt Whyttium 65), tantum ad illius sententiam plane evincendam faciant. — At nemo certe negabit, existere debere in qualibet corporis viventis parte facultatem, sic dictam, percipiendi, quam quidem primario, neque tamen solum in nervis residere novimus. Sublata igitur enumeratis operationibus, atque organorum nobilissimorum corruptione hac fa-

cultate, tanquam omnium actionum pariter ac sympathiae conditione primaria, quis mirabitur sympathiae phaenomena non amplius habere locum? Neque vero experimentis post mortem factis multum in hac re probari videtur. — Telae cellulosae porro cur omnis fere sensus denegandus sit, non videndum est. Etenim non satisfacit fluidorum in eadem collectionibus explicandis sola a corporibus porositas desumpta analogia 66). Quis demum lusu tam mechanico-hydraulico effusiones diversissimas modo topicas tantum, modo universales, perversam ipsius telae cellularis actionem non respiciens, expedire cogitet? Non percolantur ergo per cellulas modo pure mechanico, auctis solum, aut minutis vasorum luminibus, sed certe propria ipsius telae cellularis actione vitali secernuntur stagnantes in eadem humores 67). — Nil valere in sympathia communionem vasorum, aut membranarum continuitatem, sed nervis solummodo has partes comitantibus cuncta adscribenda esse, subtiliter nimis argumentatur Whytt 68). Verum puto cum Autenriethio, non penitus rejiciendam esse communionem vasorum 69). Non

mercio. Goett. 1771, proem. recus. in Ludwig script. neurol. T. IV. p. 266.

59) l. c. §. 864.

60) l. c. p. 631.

61) *Grundzüge der Lehre von der Lebenskraft. Braunsch. 1797. S. 118, 7.*

62) l. c. p. 274 seq.

63) l. c. §. 171.

64) Tissot l. c. p. 377—381.

65) l. c. p. 248, 256, 282.

66) Ibid. p. 269.

67) Brandis l. c. p. 109, 171.

68) l. c. p. 269 seq.

69) l. c. III. *Zhl.* p. 257.

enim hic juvat tam arcte juncta sejungere, neque prorsus contemnenda sunt in ipsis adeo nervis, duce Reilio, quam copiosissime vasa obvia ⁷⁰). — Ceterum argumentis, ab affectibus petitis ⁷¹), cum recentioribus auctorum opponere licebit, non solum cerebrum, sed systema gangliorum praecipue affectibus incitari. Quid, quod a quolibet affectu unam prae reliquis secretionem sollicitari evidenter constat ⁷²). — Praeterea legem Halleri primam vult transferri Tissot ad rationem metastasium ⁷³), quas tamen ipsas in sensu, ut ajunt, proprio ad sympathiam pertinere, luculenter demonstravit Brandis ⁷⁴).

11) Superest, ut breviter commemorem non nullas aliorum explicationes, inter quas talium, quales Plinius, Vesal, Aevolus ⁷⁵), Sennert ⁷⁶),

70) Exercit. anatom. fasc. I. de structura nervor. c. 5. Hall. 1797.

71) Whytt l. c. p. 289.

72) Autenrieth l. c. II. *Ihrl.* p. 735. Walther l. c. I. B. p. 340.

73) l. c. p. 377.

74) l. c. p. 29.

75) conf. C. Plinii hist. mund. Libr. XX. proem. et Lib. XXXVII. c. 4. Andr. Vesalii opera omnia. T. II, p. 1134 (ed. Boerhaave Lugd. Bat. 1725.) Caes. Aevoli de causis antipathiae, et sympathiae rerum natural. Venet. 1580. 4.

76) Institutiones medicae. Lib. V. p. 217 seq. (ed. Genev. 1646.)

van Helmont ⁷⁷), et plures alii excogitarunt ⁷⁸), solum meminisse satis erit. Quapropter ad aliquos recentiorum progrediens allegabo primo J. Hunterum, cujus tamen expositio, singularis magis, quam fructuosa, parum hanc doctrinam illustrare videtur ⁷⁹). Wedekind, ceteroquin Whyttio assentiens, ne tamen sensorio, ut ipse ait, nimium tribuisse videatur, pluribus difficultatem absolvere distinctionibus conatur ⁸⁰). Quaestiones tantummodo movet alternas Brandis, num in irritante quadam materia, vel in nervis, vel in vi naturae medicatrice quodammodo mutata, vel in antagonismo virium vitalium quaerenda sit actio organorum vicaria ⁸¹). — Non pauci sententiam Hufelandii ⁸²), atque Pfaffii ⁸³) amplectuntur, affirmantium, organum primitus incitatum stimuli instar ad alia organa sese gerere, quibus addit Doemling ⁸⁴), inexplicabilem aliter consensum lege irritationis or-

77) Ortus medicin. p. 236, 240, 292, 314, 320, 415 (ed. Amstelod. 1652.)

78) Conf. Sprengel's Geschichte. I. *Ihrl.* p. 525. II. *Ihrl.* p. 105, 182, 183, 438. et pl. loc.

79) Conf. citat. No. 12. —

80) Conf. citat. No. 9. —

81) l. c. p. 8.

82) l. c. p. 272 seq.

83) l. c. p. 171.

84) Physiologie des Menschen. I. B. S. 104. Gött. 1802.

ganorum specificae optime comprehendi posse. -- Verum, Autenriethio plura in consensu enucleando desiderasse, scio neminem. Quibus enim non nisi simul suntis explicari posse consensum ipse contendit, haec sunt: nervorum aequae ac vasorum minutissimorum nexus, similis structura, sensorii ignota adhuc compages, hujus unacum certis organis mutatio, organorum quorundam mutua intercessio, torrens calor animalis, oppositiones variae organorum tam propinquorum quam remotorum, tractus vis vitalis versus centrum quoddam, ignota denique hactenus distantium inter se organorum connexio, legibus primae formationis fundata⁸⁵⁾. — Venimus nunc ad Bichatium, illos inprimis vituperantem, qui unum rimantur, a quo omnia commodè derivent, principium. Ipse vero vitalitatis, atque sensibilitatis partium, evolutionis, aetatis, constitutionis et al., quibus omnibus sympathica organorum reactio determinetur, rationem habendam esse existimat⁸⁶⁾. Quin etiam gradationem sympathiae, ut ita dicam, pro diversitate organorum statuit. Qua de re conferri merentur loci infra citati, in quibus praeter illum;

85) l. c. III. Thl. §. 1030.

86) l. c. I. Thl. I. Abthl. p. 24. 262 seq. I. Thl. II. Abthl. p. 217. II. Thl. I. Abthl. p. 320.

ubi de nervis ex professo agit, diversarum partium sympathiam Bichat examinat⁸⁷⁾.

12) His jam omnibus cursim atque defunctorie (haud diffiteor) recensitis, quis non mihi assentiet, vix opinioni, aut hypothese, ulterius proponendis, locum relictum esse. Quod si a me de re hac difficillima quispiam requirat, fatendum est, polaritatem, quam dicunt, sive antagonismum virium vitalium, tanquam sympathiae rationem ultimam, maximopere mihi arrire⁸⁸⁾. Quippe notissimum est, actiones atque mutationes corporum primario e virium oppositione pendere, id quod etiam de actionibus, functionibusque corporis humani, neque minus de sympathia dicendum esse arbitror⁸⁹⁾. Nil enim in organismo ex parte, vel systemate, seorsum sumtis, explicandum est, quod quidem multo magis ad sympathiam valet, cum systema quodvis actionibus sympathicis propriis ad alia organa notetur⁹⁰⁾. — Si vero certe nemo nostrum

87) l. c. I. Thl. II. Abthl. p. 101, 182, 363. II. Thl. I. Abthl. p. 34, 35, 131, 241, 317. II. Thl. II. Abthl. p. 144, 231.

88) Conf. Brandis l. c. p. 8. Autenrieth l. c. III. Thl. §. 1030. Prochaska Versuch einer empirischen Darstellung des polarischen Naturgesetzes, und dessen Anwendung auf organische und unorganische Körper. Wien 1815. —

89) Conf. Prochaska pl. loc.

90) Bichat l. c. II. Thl. II. Abthl. p. 54.

dubitabit, quin summopere fallantur, qui in unico organo, vel systemate ipsius vitae causam atque rationem ultimam positam esse autumant, cur hoc idem de sympathia haesitemus adseverare? — Vita nimirum ipsa, ut pulchre Treviranus, sympathia, et antagonismo plurium aliorum organismorum, quos vulgo partes vocamus, constituitur⁹¹⁾. Neque vero impedit, adeo variare sympathiae phaenomena duplici vitae conspectu, scilicet in sanitate atque morbis; pro varia enim organorum dignitate, irritabilitate, nexu cum aliis multiplici, nervorum vasorumque copia, se- et excretionis necessitate, pro vario virium tenore, organorum diversa temperie, sexu, aetate, constitutione, temperamento et cet: diversissimas adduci necesse est organorum oppositiones, e quibus phaenomenorum sympathicorum varietas, atque inconstantia, neque nervis neque vasis solum, sed totius duntaxat ratione habita explananda, oriuntur. — Quisquis vero succinctam hujus rei expositionem a tirone expectat, nimium ille, et quae hujus loci esse non possunt, expetit. Id solum adhuc afferam, ex accuratissimis sympathicorum phaenomenorum in morbis praecipue, ubi illa multo luculentius sese exserunt, observationibus atque

91) Biologie III. Thl. p. 540.

denotationibus sperandum esse, fore, ut clarior dissipandis physiologiae, quibus undique premitur, tenebris lux affulgeat, qua illustres arte viros, feliciter usos, tam pathologiae quam therapiae summum commodum atque emolumentum aliquando importaturos esse tantopere de- siderandum est.

S e c t i o s e c u n d a ,

s i s t e n s

Hepatis considerationem physiologicam.

Licet suam cuique organo, ut cum Blumenbachio loquar, vitam competere propriam negari non possit⁹²⁾, organismi tamen idea rite percepta jam involvit, ut omnes omnino ejusdem partes, non nisi certa inter se ratione et stabilita harmonia junctae, totum illud, quod

92) Blumenbach's Anfangsgründe der Physiologie, überg. von Eberl. Wien 1795. S. 47. conf. Treviranus Biologie. 3r B. p. 540.

organismum nominamus, constituent 93). At vero quaedam partes s. organa arctiori quasi vinculo circumdatae, systema quoddam, certo fini praepositum nobis praesentant. — Aequalilem organorum et systematum ad vitam sine molestia agendam concentum sanitatem nuncupamus 94). Nihilominus liquido patet, tum organa, tum, quae ex horum concursu oriuntur, systemata in corpore humano varia gaudere dignitate. — Verum mihi de jecinore potissimum sermo hic est, quod, sive tanquam organum per se, et systema illud vasorum, quo fruatur, proprium, sive, quam cum totius corporis oeconomia habet, necessitudinem sedulo consideremus, summi momenti viscus esse, unanimi voce omnis aevi consentiunt auctores. Inter veteres Plato, hepar instinctus animalis, omnium adfectuum, ipsius adeo divinationis sedem esse, docuit 95). Quam quidem opinionem restrictam magis, quam sublatam esse a recentioribus inde adparet, quod etiam nunc temperamentum cholericum a praeponderante systema-

93) conf. Hippocrat. S. IV, de loc. in homine. p. 407. Kant's Kritik der Urtheilskraft. Berl. 1790. S. 292. Walther l. c. I. B. p. 213.

94) Paracelsi chirurgische Bücher. S. 380. (Oper. omn. ed. Briscoius. Strasburg 1615. Fol.) Brandis l. c. p. 12.

95) Sympson's Geschichte. I. Thl. S. 451.

tis venae portae conditione, qua cholericorum morbis singularis imprimatur character, derivant plurimi 96). Galen facultatum quarundam esse principia hepar et cor, illud quidem animae concupiscibilis, hoc autem irascibilis, enuntiat 97). Jecur etiam omnibus inest animalibus, sanguine praeditis, iudice jam Aristotele 98). Primo e visceribus cor et jecur in pullo generari, refert Fabricius ab Aquapendente 99). Quibus iteratis adjungit Bichat, hepar, certo character insignitum, inveniri vel in illis animalium classibus, ubi reliqua viscera imperfecta magis conspiciantur 100). Caloris gradu praecellere, qua hepar residet, ventris regionem, experimenta docuerunt Autenriethium 1). Plurimis, ob rarissimum hepatis in cadaveribus defectum, placuit de hujus organi in corpore humano praestantia conjicere 2). — Verum multo evidentius pate-

96) Walther l. c. I. B. p. 144.

97) Op. omn. T. I. p. 550.

98) Op. omn. T. II. de part. animal. Lib. III. cap. 4. p. 521. a. 7. p. 528.

99) Opera omnia. p. 24. (Lipsiae 1687. Fol.)

100) l. c. I. Thl. II. Abthl. p. 202.

1) l. c. S. 535. 744.

2) A. G. a Bergmann diss. sist. cogitata non nulla circa hepatis usum physiolog. patholog. et therapeutic. Jen. 1798. S. 3. conf. G. Voigtel's pathologische Anatomie. 3r B. S. 1. Halle 1805.

bit jecinoris in organismo humano gravitas atque dignitas, si, missis, quae ex organo solo desumuntur, et facili negotio possent augeri, argumentis, quomodo sese habeat jecur ad totum corpus, quam intime cohaereat cum principalibus organismi systematibus, quanti sint denique ponderis ejusdem functiones, paululum indagemus. — Sed ne dissertationis limites ultra modum extendantur, quadruplici potissimum respectu, eoque, ni fallor, gravissimo, de hepate pauca disserere mihi in animo est. —

I.

Hepatis ad systema nervorum respectus.

Non pauci quidem, sed parvi, subtiles, et valde molles hepar magnum ingrediuntur nervi³⁾. Hos, tum e pari nervorum vagorum, oesophagum cingente, tum maximam partem e gangliis coeliacis ortos, formare plexum hepaticum, anatomia docet⁴⁾. Praecipua vero illorum gangliorum, sive potius plexus coelici dicendi, ratio habenda est, quippe qui in corpore

3) conf. Galen. T. I. p. 488, 489. T. IV. p. 667. Autenrieth l. c. II. Thl. §. 637.

4) Thom. Willis l. c. p. 198 — 200. Fried. Hildebrandt's Lehrbuch der Anatomie. §. 2115. 3168.

humano sine pari, vel magnitudinem vel propagationem spectes, cunctis prospiciens abdominalis visceribus (unde a veteribus haud incongrue cerebrum abdominale vocatur) systema quidem per se constituere, neque tamen minus cum ipso cerebro adfinitate, licet parum adhuc nota, conjunctus esse videtur⁵⁾. Haec quidem in universum; sed multa sunt, quae peculiarem hepatis cum systemate nervorum cognitionem demonstrant. — In prima jam corporis formatione quod cerebrum et hepar, praegrandi licet ambo volumine, reliquis, excepto corde, praecurrant organis, non vanam mutuae relationis suspicionem movere valet. Quid, quod, teste Autenriethio, jecur valde parvum invenitur in acephalis⁶⁾. — Id quoque singulare vena portae, quae tantum differt a reliquis venis, habet, ut comitetur rete nervoso, quod quidem in venis reliquis, sanguinem sanguini arterioso vehentibus oppositum, desideratur⁷⁾. Adest igitur vere mutuus consensus cerebrum inter hepatisque secretionem⁸⁾. Quod si laedantur

5) conf. Keil's Archiv über die Eigenschaften des Gangliensystems. 7t. B. 2. St. S. 189 seq.

6) l. c. I. Thl. §. 401. II. Thl. §. 747.

7) Autenrieth l. c. III. Thl. §. 879. conf. Walther l. c. I. B. p. 339.

8) Autenrieth l. c. III. Thl. §. 1030.

nervi, qui hepar intrant, cessant functiones illius, corrumpitur bilis ⁹⁾. Evidentissime autem adfectuum animique motuum longe pars major nervorum in hepar probat dominium, vi cuius temperamentum, habitum, subitaneas animi mutationes, atque functionum anomalias jam explicarunt veteres id quod novis inducti observationibus recentiores confirmarunt ¹⁰⁾. Est enim hepar organum, quod actione quidem magis animali gaudet, verum apertus animi pathematum effectus in illud persuadet, esse etiam nervorum actiones in jecur efficaces ¹¹⁾. Cerebrum in cholericis cum organo bilem secernentibus imprimis arctissime consentire noscimus ¹²⁾, hinc praegresso irae vehementioris impetu polychoelia nasci solet ¹³⁾. Sed quod magis est, ipsa adeo, cui hepar praeest, bilis secretio ex allatis causis, ratione qualitatis varie mutatur; immo bilem in alium transferri locum, plurimi asseruere. — Quibus quidem phaenomenis solas

nervorum agitationes ortum dedisse negari nequit. Huc ergo referendus est, qui saepissime iram, indignationem terroremve sequitur, morbus arcuatus ¹⁴⁾. Ira graviore sicut commotione cerebri augeri, vel etiam depravari bilis secretionem, quin hepatitisdem excitari posse, testatur Hufeland ¹⁵⁾. Fortiori pariter animi adfectu hepatis ad secernendam bilem necessariam reactionem ita protinus immutari, dicunt auctores, ut causticam bilis acquirat qualitatem, quemadmodum lac atque salivam excandescencia acriora fieri constat ¹⁶⁾.

II.

Hepatis relatio ad systema vasorum
s. ad haematosin.

Jecur cum aliis quidem organis cognationem habere, sed ceteris sanguine magis fluere, jam observavit Hippocrates ¹⁷⁾. Primarium porro sanguinis creandi organum hepar adpellant Galen ¹⁸⁾,

9) Tissot l. c. p. 398. Walther l. c. I. B. p. 340.

10) Bichat l. c. I. Thl. II. Abthl. p. 202. conf. Fried. Hoffmann's Sammlung auserlesener Casuum. Halle 1735. S. 259.

11) Reil memorab. clinic. fasc. IV. p. 65. 75.

12) Pfaff l. c. §. 267.

13) Reil memorab. clinic. fasc. I. p. 35. Hall. 1798. conf. Henke allgemeine Pathologie. I. B. S. 485. Berl. 1806.

14) Tissot l. c. p. 397.

15) l. c. p. 290. conf. Frid. Hoffmann op. om. T. VI. p. 158. §. 26. ibidem. p. 293. §. 14. seq. — Ejusdem diss. resp. Tittmanno de medicina emetica et purgante, post iram veneno. Hall. 1721. §. XI.

16) Hufeland l. c. p. 343. Autenrieth l. c. §. 1067.

17) de corp. resect. p. 916.

18) T. I. p. 435. 488.

Vesal¹⁹⁾, Bauhin²⁰⁾. Quae quidem omnia hanc, quam statuimus, relationem, etsi rudioris adhuc anatomiae erroribus superstructam, exprimere nemo non videt. — Inter recentiores vero Bichat, sanitatem tunc adesse, argumentatur, si sanguinem arteriosum et venosum inter talis existat proportio s. potius aequilibrium, ut, quam prior patitur, jactura iterum plene resarciatur in pulmonibus. Quod si non habeat locum, aut plethoram aut oligocholiam oriri necesse est. Verum longe alius est sanguinis arteriosi in unico systemate, ramis ubique communicantibus, quam sanguinis venosi decursus. Hic enim duobus longe a se invicem disjunctis organis s. systematibus absolvendus continetur, quae praeter formam nil, quo convenient, habent²¹⁾. Manifestissimum est, systema venae portae et illud venarum cavarum hic menti observari. Sed nihilominus utriusque systematis contemplationem prosequi liceat, quo magis ab hepatis integritate processum haematoseos dependere palam fiat. — Componitur vena portae e sanguine venoso omnium viscerum chylopoëticorum, confluentibus duabus tribusve

19) Op. om. p. 508.

20) l. c. p. 280.

21) Bichat l. c. I. *Tbl.* II. *Abthl.* p. 10. 150.

venis abdominis majoribus in truncum communem, qui, in ipso hepatis parenchymate in ramulos innumeros dispersus, bili secernendae praecipue inservit²²⁾. Nequis autem hunc in hepate venosi sanguinis circuitum minoris esse momenti dicat, quam illum in pulmonibus; quemadmodum enim venoso totius corporis sanguini in pulmonibus praefixam conspicimus metam, ita pari modo sanguinis, abdomine fluentis, pars maxima in hepate colligitur, inde vero hujus organi ante alia, praeter secretionis officium, plurimum dignitas emicat²³⁾. — Quinimo tanquam regula statui potest, ut, nimium repletis pulmonibus, tam atrium cordis dextrum, quam hepar ipsum venoso sanguine turgescant²⁴⁾. Neque dubitandum esse Bichat existimat, aliud etiam, praeter bilis secretionem, in oeconomia organica praestare jecur emolumentum, quod, quamvis nobis adhuc ignotum, sane circa systema venosi in abdomine sanguinis, ad quem excipiendum hepar designatum cernimus, unice versetur²⁵⁾. Cum praeterea in foetu jecur multo majori volumine semper

22) conf. delineatio sciographica venae portae praes. Murray resp. Froehlich Upsal. 1796. 4.

23) Bichat l. c. I. *Tbl.* II. *Abthl.* p. 197. 200.

24) Ibidem — — — p. 199.

25) Ibidem — — — p. 201. 202.

inveniatur, quiescentibus eo ipso tempore pulmonibus, quis, nulla systematis vasorum motusque diversi sanguinis ratione habita, haec exponere audeat? — Videtur autem eo magis hepar subeundis ex parte saltem pulmonum functionibus idoneum esse, cum ambo organa carbonem excernere constet, illud quidem magis hydrogenio nuptum, hi vero oxydatum magis ²⁶⁾), Aperte etiam Walther pronuntiat, hepar in certa relatione ad pulmones considerandum esse eo, quod auxiliare pulmonibus systema comprehendat ²⁷⁾). Sunt tamen, qui explicationem consensus non nisi e nervorum conjunctione petitam agnoscant, quapropter, par nervorum vagorum et pulmonibus providere et unacum nervis splanchnicis plexum coeliacum componere, notandum est. Adducamus postremo Fr. Hoffmannum, qui quidem hallucinatos esse veteres in eo dicit, quod hepar praecipuam sanguinis parandi officinam putarint, neque minus tamen ipse, per jecinoris functiones justam sanguinis crasin et perfectam sanguinem componentium proportionem naturalem conservari,

26) Auteurieth physiologie. III. *Zbl.* §. 647. conf. H. Fabricii ab Aquapendente op. om. p. 86.

27) l. c. I. B. p. 124. 193. 413.

fatetur ²⁸⁾). Quibus corrivatis animoque perennis intelligendum est, ex aucta vel imminuta hepatis actione varias processus haematoseos pendere mutationes, quas quidem in universum corpus facillime redundare necesse est.

III.

Hepatis reputatio quoad digestionis opus s. ad chylopoësin.

Chymus per actionem ventriculi et admistos in eodem succos ex alimentis paratus, simul ac pervasit valvulam pylori, intestino duodeno excipitur. Verum haec pars tubi intestinalis, licet minor, reliquis tamen non parum antecellit praestantia eo, quod bigam ductus excretorii, scilicet pancreatici et choledochi, quos uberius hic exponere superfluum duco, simul in se recipit. Atque manifestum esse hepatis cum hoc intestino consensum ob nervorum nexum et ductus choledochi insertionem, Reil affirmat ²⁹⁾). — Chymum autem talium succorum admistione, processu forsitan organico-chemico, in chylum verti conveniunt auctores, a quo, per ductum

28) conf. oper. omn. T. I. cap. V. p. 61 seq. ibid. ratio med. p. 186. T. VI. p. 151.

29) Memorab. clin. fasc. IV. p. 79. conf. Walther l. c. I. B. §. 77.

thoracicum plerumque venae subclaviae sinistrae immisso, et sanguinis et totius corporis regenerationem dependere, satis notum est. Verumtamen, quas ipse chymus subeat mutationes post bilis adventum (de qua solummodo hic quaestio) nondum omnimode deciderunt scriptores. Plerique tamen contendunt, abundantem chymi acorem bile adjuncta tolli, chylum e chymo praecipitari, ac insuper motum peristalticum egregie sustineri ³⁰). Neque de bilis ad digestionem bene peragendam necessitate quispiam dubitabit, qui, illa deficiente, aut male parata, aut ejusdem in duodenum affluentia impedita, totius nutritionem corporis labefieri paulo serius consideraverit. Ipsos jam veteres hanc jecoris ad concoctionem relationem haud ignorasse, testes sunt Aristoteles ³¹) et Galenus ³²). Bilis autem est optimum instrumentum chylopoëseos secundum Boerhaavii ³³) arbitrium, unde illa vitae periodo, in qua do-

30) Andr. Caesalpini praxis univers. art. med. p. 568 (edit. Tarvis. 1606). conf. Walther l. c. I. B. p. 169. 222. 234. — Spallanzani Experiences sur la digestion de l'homme et de différentes espèces d'animaux in Bumentach's medizinischer Bibliothek. I. B. 48 St. S. 602. Reil's Archiv für die Physiologie. 3r B. S. 179. seq.

31) Oper. omn. T. II. de part. anim. Lib. III. c. 7. p. 528.

32) Oper. omn. T. V. p. 731.

33) Praelectiones de morb. nervorum. T. I. p. 142.

minatur systema cholopoëum, non raro ceteris paribus polysarcia nasci solet ³⁴). Ceterum notatu dignum est, tempore digestionis tam sequam excretionem bilis constanter augeri, id quod etiam de pancreate valet ³⁵). Si vero cholelithi ductus biliarios obturent, aut spasmi velut in ictero bilis efficiant retentionem, aut si ligamento ductus choledochus in animalibus intercipiatur, tunc, labefactato coctionis opere, multo lentiolem esse intestinorum motum, analysis chymi in chylum et excrementa non succedere, contra chymum, secesso prius multo aëre, immutatum exsiccare magis, ac alvi dejectionem colore foetoreque carere, experientia docet ³⁶). Jecur tanquam systematis chylopoëi pulmonem, et venam portae instar arteriae pulmonalis habendam esse, proponit Walther ³⁷). Atque certe valde dubitandum est, an detur amplior morborum series, quam illa vitiornum digestionis, quorum quidem fontem auctores in

34) Walther l. c. I. B. p. 347. conf. Reil memor. clin. fasc. IV. p. 85.

35) Bichat l. c. II. Thl. II. Abthl. p. 144. 151. Walther l. c. I. B. §. 225.

36) Rob. Whytt sämtliche theoretische Schriften aus dem Englischen. Berlin 1790. S. 92. Autenrieth's Physiologie. II. Thl. S. 648.

37) l. c. I. B. p. 166.

hepate primitus male affecto investigant³⁸⁾. — Neque vero silentio praetereundus est uteri cum totius digestionis apparatus, et speciatim cum hepate consensus³⁹⁾, quem plures, in graviditate occurrentes, molestiae melius enodant⁴⁰⁾.

IV.

Cogitata quaedam de hepatis secretionem s. de cholopoësi.

Concludamus principio ex antea praemissis cum Galeno: „non igitur solum secretionis causa tantum plexum vasorum in hepate natura effecit“⁴¹⁾. — Duplici autem potissimum ratione spectari posse jecoris secretio videtur: primo quidem respectu totius corporis, seu in quantum hujus secretionis anomaliae systemata illa tria principalia afficiant, singillatim modo commemorata. Altera vero ratio, quae hic occurrit, paulo fusius examinanda est, puta quamvis certi

38) conf. Frid. Hoffmann resp. Zimmermann de morbis ex hepatis vicio. Hall. 1726. Reil Tractatus de polycholia. Hall. 1782. Ejusdem memorab. clinic. fasc. IV. p. 167. seq. Hente *allgemeine Pathologie*. I. B. S. 484. sequent.

39) conf. Hippocr. de morb. mulier. Lib. I. S. 5. p. 602. Galen. T. VII. 48. 5. —

40) Ch. Gottfr. Jörg's *Handbuch der Krankheiten des menschlichen Weibes*. Leipz. 1809. S. 250. 251.

41) Oper. omn. T. I. p. 487.

generis secretionem, non nisi stabilita relatione sive lege ad alias secretionem, salvam teneri. — Connectuntur enim arctissime in corpore humano, tot systematum synthesisi, motus vitales cum omnibus secretionibus universim sumtis⁴²⁾: Hinc ergo liquet, unaquaque, vel quantitate vel qualitate, mutata, reliquarum, quo sanitas fundatur, disturbari tenorem. Verum causae, quae rectam impediunt secretionem, tum in perversa systematicae vasorum actione, tum in vitiosa functione ipsius organi secernentis erunt quaerendae⁴³⁾. Neque enim secretionem vitari posse arbitror, nisi a norma deflectant organi vires, quibus solum congruis rite perficitur secretio. Haec quidem omnia quomodo de bilis secretionem valeant, nemo non intelligit. — Quapropter negandi sunt morbi biliosi, a bilis staminibus in sanguine retentis oriundi, cum ad bilem parandam hepatis labores desiderentur, quibus deficientibus nunquam neque bilis neque ipsius analogon conficitur⁴⁴⁾. Legitur autem, jam a veteribus opiniones directo oppositas de felle prolatas

42) Brandis l. c. p. 20. Autenrieth l. c. III. Tabl. S. 1030.

43) Brandis l. c. p. 61. Hente *allgemeine Pathologie* I. B. S. 478.

44) Reil memorab. clinic. fasc. IV. p. 49, 85. seq. p. 172. conf. Frid. Hoffmann oper. omn. T. VI. p. 154. S. 12.

esse, prout enim Anaxagoras bilem morborum acutorum causam opinaretur ⁴⁵⁾, ita Erasistratus bilem esse omnino inutilem professus est ⁴⁶⁾. — Talia vero priscae aetatis genio facile indulgenda sunt, et quidem eo magis, cum nostro etiamnum tempore (quod mirum) proposita sit assertio, per hepar inutilia, consumpta, et corpori inimicam quasi scoriam educi, atque jecoris functionem in eo niti, ut resolvat bilis unionem cum sanguine venae portae unice mechanicam ⁴⁷⁾. — Hepar quidem tanquam organum purgativum, ut ajunt, considerare haud absurdum videtur, nec certe inanis est hujus cum cute, renibus, ipsisque pulmonibus comparatio, e qua Autenrieth sagacissime intulit, praevalere cutis, renum, pulmonumque secretiones, quamdiu in processu vitali oxygenium praeponderet, casu vero contrario jecoris secretionem dominari ⁴⁸⁾. Quamvis autem cujuslibet secretionis depravationem, sublata, quippe quae

45) Aristotel. oper. omn. T. II. de part. animal. Lib. IV. c. 2. p. 541.

46) Sprengel's Geschichte. I. Thl. S. 579.

47) Bergmann diss. citat. §. 5. 10. 11. 12. conf. Walther l. c. I. B. p. 324. 338.

48) Autenrieth l. c. II. Thl. §. 647. III. Thl. §. 788. 812. Walther l. c. I. B. §. 83. 84. Reil memorab. clin. fasc. IV. p. 86.

inter omnes intercedit, conspuratione, plus minusve secretiones reliquae participant, patet tamen nihilominus, mox in totum corpus prosecernentis organi dignitate, constitutione, morbi gradu etc. mala varia redundatura esse, et quidem eo majora, quo latiori arctiorique nexu organum quoddam cum aliis junctum nobilissimae, immo in ipsos corporis usus convertendae, secretioni praepositum esse novimus. — Vix habeo, quod edicam, ad secretionem hepatis quadrare modo dicta, cum adeo variis tam solidorum quam fluidorum anomaliis sese prodant bilis vitata ⁴⁹⁾. — Sed finem faciamus eorum, quae e physiologia non sine ratione praemittenda esse videbantur, quoniam auspice Gaubio, ut curvi norma rectum, ita morbi sanitas est. Jam vero ad ipsius dissertationis scopum propius accedamus.

49) conf. Reil memorab. clin. fasc. I. p. 55—59.

Sectio tertia,

delineans

Hepatis in morbis sympathiam.

Plurimum refert, immo maxime expedit medico, illum admirabilem partium consensum, cujus ratione illae in naturae functionibus obeundis invicem communicant, qua potest fieri, solertia indagare, sine cujus intelligentia profecto omnis pathologia, sive rationalis circa morbos doctrina, et medendi methodus coeca, manca, et trunca est: Ita quidem excellenter Frid. Hoffmann judicat ⁵⁰). — Concordant autem opiniones auctorum, consensum in valetudine adversa multo quidem magis adparere, sed stipantem scilicet catervam phaenomenorum longe implicatiorum, quam quae ex immediata organi laesione oriuntur, rectae morborum diagnosi non parum officere ⁵¹). Neque tamen hic consensus (vulgo morbosus dicitur) in ea duntaxat ra-

50) Diss. de consensu partium proem. p. 5. conf. Ejusd. oper. omn. T. I. p. 28. §. 29, p. 268.

51) Tissot l. c. §. 1. p. 372. — Bichat l. c. I. *Œhl.* I. *Œbthl.* p. 23.

tione considerandus est, inquantum organa sese invicem incitando agunt, sed etiam, quomodo stimulos recipiant ad vitam necessarios, quomodo eosdem praeparent, ac sic mutuo inter se communicent, sedulo perpendi oportet ⁵²). — Si vero ullum in corpore nostro viscus curatissimam meretur disquisitionem, certe est hepar. Hujus enim sicuti ad vitam cum sanitate conservandam utilitas est longe praestantissima, ita vicissim confertum morborum agmen ex ejusdem labe, et laesa functione ingruit. Ea autem huic visceri dispositio inest et habitudo, ut non solum longe facilius, quam ullam aliud, vitium contrahat, sed etiam contracto illo, latius malum propaget, reliquisque corporis partibus noxam affricet gravissimam ⁵³). — Ex centum morbis chronicis, ait Herm. Boerhaave, vix unus est, cujus princeps sedes non sit in hepate ⁵⁴). — Haud aliena sunt ab his, quae e sectionibus anatomicis colligit Bichat, quippe qui de jecinore, ceteris organis multo frequentius degenerato, certior factus, notissimum Stahl's prover-

52) Pfaff l. c. §. 172.

53) Frid. Hoffmann de morbis ex hepatis vitio. §. 1. — conf. U. G. Schaeffer l. c. *Œersf.* II. p. 32.

54) Praelectiones academicae ed. A. Haller Taur. 1742, 4. Vol. II. p. 269. conf. P. Frank epitome de cur. hom. morb. Lib. II. p. 267 seq. Hippocrat. S. III. de genit. p. 231. S. V. de morbis p. 446. de affect. p. 516.

bium toto animo recipiendum esse, asserit, siquidem eodem morborum hepatis frequentiam designare, quam venae portae strictius adhaerere malimus ⁵⁵). Quotusquisque vero nosse cupit, quot quantaque provocare mala valeant laesae hepatis functiones, indeque depravatae bilis generatio, adeat praecipuos artis medicae scriptores, quorum aliquos, mihi de hac re consulenti obvios, infra adjiciam ⁵⁶). — Nunquam igitur omittenda est accuratissima hypochondriorum inquisitio, cujus in cognoscendis non minus, quam in tractandis morbis utilitatem summopere medicis commendant auctores ⁵⁷). — Positis hisce generalioribus ad ea jam breviter exponenda succingar, quae hepatis cum aliis sive organis sive systematibus sympathiam in morbis docere videntur. Neque tamen omnes, quos modo recensebo, morbos a sola hepatis

55) l. c. I. *Zhl.* II. *Abthl.* p. 202.

56) Frid. Hoffmann de morb. ex hepat. vitio. — P. Frank epitome de cur. hom. morb. Lib. V. P. II. p. 465. seq. Max. Stoll aphorismi de cognosc. et curand. febribus. Vindob. 1786. p. 81 seq. 114 seq. Reil tractat. de polycholia. — Ejusdem memorab. clin. fasc. IV. p. 62. 173. Seb. Goldwiz Pathologie der Galle. Hamb. 1789. Henke allg. me. Pathologie. Ejusd. specielle patholog. I. B. Sprengel institutiones medicae. T. IV. pl. loc. Amstelod. 1814.

57) Baglivi opera omnia. p. 62. (ed. Antwerp. 1734. 4.) Sprengel instit. medic. T. IV. §. 263. 266.

sympathia semper originem ducere contendam, neque de rerum dispositione, quae multis forsitan incongrua videbitur, obstinatius disputare lubet; habeat quisque suam. — Mihi quidem, quem in sectione secunda secutus sum, ordinem in hac quoque tertia retinere, aptius commodiusque visum est, quam cum Rega, aut Tissotio a capite ad membra usque descendere. —

I.

Hepatis in morbis sympathia, ex ratione systematis nervorum.

Bilem in cystide fellea justo longius retentam non solum hepar ipsum irritare, inflammare, exedere, sed etiam totum systema nervosum in fatalem homini consensum provocare, P. Frank docet ⁵⁸). Utrobique infestari sordibus biliosis partes nervosas, quod neque inflammationi verae, neque putredini, neque nervorum debilitati tribuendum sit, asseverat Selle ⁵⁹). — Quantum furens bilis irritationem, cum per totum corpus debacchatur, tam in universum systema nervorum, quam primario in singulos hepatis, ventriculi, intestinorum, pulmonumque nervos

58) Epitome de curand. Lib. IV. p. 27.

59) in Libro de curandis hom. morb. interpr. Sprengel. Berol. 1798. p. 30.

exercere possit, exponit Reil ⁶⁰). In synocha chol poësi non nunquam coenaesthesia aucta accedit, quae varias passiones affert, ut cephalalgiam, rheumatismum et al. hujusm.; neque minus in typho cholopoësi similia occurrunt ⁶¹). De sensorio communi, bile atra affecto, agit Herm. Boerhaave, insaniam, ecstasin, epilepsiam, catalepsin, convulsiones, et apoplexiam inter alia enumerans ⁶²). Haud raro hepar enorme, tumidum, maculis flavescens variegatum inventum est in apoplecticis, quorum exempla collegit Sprengel ⁶³). De vertigine ex bile corrupta loquuntur Boerhaave ⁶⁴), Bianchi ⁶⁵), Tissot ⁶⁶). In Rhachitide et cerebrum et jecur inveniuntur majora ⁷), sectoque talium infantum cadavere vesica fellea loco bilis laticem albuminosum continet ⁶⁸). Gravem hemicraniam in cholericis post quemcunque irae paroxysmum oriri, post aliquot vero horas bilioso vomitu solvi,

60) Memorab. clin. fasc. I. p. 66. conf. ibid. fasc. IV. p. 61.

61) Ibidem fasc. IV. p. 183. 213.

62) Praelection. demorb. nervor. T. II. p. 363 seq. p. 536.

63) Instit. med. T. IV. §. 489. 492.

64) l. c. T. II. p. 494.

65) Historia hepatis. P. III. p. 513.

66) l. c. p. 477.

67) Autenrieth l. c. II. Thl. §. 753.

68) Sprengel instit. medic. T. IV. §. 630.

vidit Bianchi ⁶⁹). In plurimis nervorum affectionibus, ut in hypochondria, melancholia etc. hepatis praecipue rationem habendam esse, plures suadent auctores ⁷⁰). Forestus, biliosam sese maniam observasse, narrat ⁷¹). Exemplum simile, desumptum ex Finkio, S. G. Vogel affert ⁷²). Hepatis durities, et apostemata, venae portae insignes varices, calculos biliarios nervorum abdominalium intemperantiam producere, atque eo modo melancholiam, probabile est ⁷³). De hepate in melancholico-maniacis et epilepticis varie morbose certe nil dubii relinquunt sectiones pathologicae ab Ernest. Gredingio institutae ⁷⁴). Tam Analogia, quam suetus morbi cursus saepenumero icterum annunciant, sed hujus loco variae proveniunt nervorum affectiones v. c. Apoplexia, Epilepsia, animi hebetudo, vel etiam alternant icterus ipsique nervorum morbi; quin copiosiori bilis secretionem tan-

69) l. c. P. III. p. 511. conf. Forest. observat. Lib. IX. observat. 48. 49.

70) Frid. Hoffmann oper. omn. T. I. p. 29. — Rahn diss. citat. p. 228. Bichat l. c. I. Thl. II. Abthl. p. 202.

71) Forest. observat. Lib. I. observ. 10.

72) Handbuch der practischen Arzneywissenschaft. Sten- dal 1789. I. Thl. §. 122. not. a.

73) Sprengel instit. med. T. IV. §. 566.

74) In G. Ludwig advers. med. pract. Vol. III. P. I. p. 125. Lips. 1796.

quam crisi ejusmodi nervorum morbos vel subito tolli haud raro videmus ⁷⁵). — In hepatitide phrenitis plerumque mortem praecedere solet teste R. A. Vogel ⁷⁶). Quod quidem phaenomenon, sat diu notum, aliter explicarunt alii: Sic Galenus haerentem in cerebro bilem flavam quasi phrenitidis causam jam accusat. Brendel et Schroeder, phrenitidem esse propriam morborum speciem et quidem biliosae indolis, existimant ⁷⁷). Etiam Reil in primo adhuc, quo prodiit auctor, opusculo sese Galeni et T. Bonneti sententiae adsentire, professus est, non per consensum in phrenitide cerebrum a bile affici, sed propria et primaria cerebri ejusque membranarum per bilem affectione ⁷⁸). Sed equis in sanguine, ne dicam in cranio, verae bilis praesentiam sufficienter hucusque demonstravit? ⁷⁹) — Verum luculentissime cerebri cum hepate consensus in illa praecipue hepatitidis specie adparet, quae tropicis magis regionibus familiaris

75) Brantlis l. c. p. 180.

76) *Kenntniß und Kur der Krankheiten, übers. v. Wohl.* Leipzig, 1780. S. 219. conf. *S. G. Vogel's Handbuch* 2c. 4^{te} Thl. S. 8.

77) *Hente specielle Pathologie.* I. B. S. 486. 489.

78) *Tractat. de polycholia.* P. I. p. 34.

79) conf. Brandis l. c. p. 23. 168. Reil memorab. clin. fasc. IV. p. 49. 85. Walther l. c. I. B. p. 218. 300. Selle l. c. p. 379.

Hente specielle Pathologie. I. B. S. 350.

est. In hac enim vertigines, angores, et ipsa animi deliquia quemlibet corporis motum excipiunt. Subito extincti cadaver jecur monstrat valde tumidum, aut ulcere exesum ⁸⁰). — At vero, antiquissimis jam temporibus unam prae reliquis hepatis sympathiam observatam fuisse, constat, illam nimirum, quae capitis affectiones laesionesve saepissime sequi solet ⁸¹). Non possum facere, quin hic afferam A. Paraeum, qui de suppuratione hepatis, post vulnera capitis oborta, perbene commentatus est ⁸²). Collegit quoque plures hujus phaenomeni observatores Tissot, adjunctis breviter variis illorum explanationibus ⁸³). — Insuper consulas, rogo, ejusdem auctoris descriptionem febris biliosae, quae Lausannae grassabatur, inclytissimam, ubi pro tota hac sectione continentur plura, quam ut singillatim possint enumerari. —

80) Sprengel inst. med. T. IV. §. 265. conf. Jac. Bonnetii de medic. Indorum. Lib. IV. Lugd. Bat. 1642. p. 153.

81) Hippocrat. Aphorism. IV. 28. VI. 50. coac. praenot. 507. p. 199. de morbis. Lib. I. p. 447. conf. Celsi de medicina. Lib. VIII. ed. Krause Lips. 1766. Lib. V. p. 296.

82) *Sprengel's Geschichte.* III. Thl. S. 489.

83) l. c. §. 8. — conf. mémoires de l'acad. royale de chirurgie. T. III. p. 485. 510. *G. Richter's Anfangsgründe der Wundartzneikunst.* 2^{er} B. S. 130. — Ejusd. *chirurgische Bibliothek.* 5^{er} B. S. 654 seq. Schenk observat. med. p. 452 (Frkfrit. 1609). Autenrieth l. c. III. Thl. §. 879.

Constat igitur certissimis et quotidianis observatis, cerebri. laesi vel compressione vel concussionem male affecti, insignes mutationes etiam in sanissimis hominibus biliosum vomitum excitare non tantum, sed etiam bilem miro modo mutare fere momento temporis ⁸⁴). E sola etiam cerebri commotione inflammationem supurationemque hepatis nasci posse, Hufeland confirmat ⁸⁵). In ictero sensuum hallucinationes, oculorum caligo, sopor, deliria, apoplexia sat frequenter reperiuntur ⁸⁶). Praeterea hepatitis chronica ad capitis laesiones accedere consuescit, atque vel ulceribus ejus visceris, vel tumoribus duris juncta est. Solet etiam nonnunquam sat sero aliquid in hepar abscedere, dum plaga capitis jam consanuit. Praecipue vero ulcera hepatis vel repente interdum capitis laesiones excipiunt, praesertim eas, quae nervorum affectiones, sopores, sensuum caliginem, et nervorum resolutionem pedissequas habent. — Itaque merito hunc consensum e mutuo secretionum commercio exponi posse Sprengel arbitratur, cum in hepate pariter, ac a nervis hy-

84) Ger. van Swieten commentar. in Boerhaav. aphorism. T. I. p. 435. (ed. Lugd. Batav. 1753. 4.)

85) Pathogenie. p. 289.

86) Sprengel instit. med. T. IV. §. 572.

drogenes paretur ⁸⁷). At vero primus, ni fallor, hanc proposuisse explicationem Autenrieth mihi videtur, cum in opere jam saepius citato aperitissime declararet, insignem cerebri cum hepate sympathiam potius e mutua organorum, processui secretionum inservientium, inter se relatione, quam e consensu mere anatomico erudendam esse ⁸⁸). — Afferamne adhuc Riolanum, qui, unde pendeat societas capitis cum hepate, non satis intelligi sincere professus, valde dubitat, an ratione nervorum tam exilium, qui hepati communicantur, an ratione venarum, quibus purulencia cerebri, per truncum venae cavae descendens, facilius haereat in hepate calefacto, et inflammato, rem decidat? ⁸⁹). —

Audiamus jam Reilium de his disserentem: vulnera, ait, et inflammationes cerebri et capitis hepar movere constat. Sed quanam ratione? — Vel sensus nervosi capitis morbo inducti, irritamenti instar in hepar agunt, vel laesiones capitis jecinoris irritabilitatem augendo largiorem bilis secretionem inferunt. — Huc et pertinet cephalalgia gravior, quae vomitum ultro movet, et phrenitis, quam symptomatibus bi-

87) Ibid. §. 266. 268.

88) Physiologie. III. Thl. §. 879.

89) Opera anatom. p. 123.

liosis, male quidem pro causa morbi venditis, frequentissime stipatam observamus. Deliria aepyreta, et febrilia, idiopathica cerebri pathemata, a sensibilitate exaltata, statuque encephali subinflammato progerminantia, ob arctum inter caput et hepar consensum, hepar turbant, et bilem movent, quam medici praepostere pro delirii causa deprehendentes, caput laesum amplius emeticorum effectu commovent 90). — His tandem omnibus finem imponere cogito, afferendo locos non nullos ex C o i opèribus huc spectantes 91).

II.

Hepatis in morbis sympathia, quod adtinet ad systema vasorum.

Jecinoris ad haematosin rite perficiendam siquis juste perpenderit dignitatem, non mirabitur certe, tam diversis modis in consensum trahi ab hepate aegrotante tot organa atque systemata, quorum quidem omnium, ut sanquis bene paretur; congruentia requiritur. Hinc

90) Memorab. clin. fasc. IV. p. 80.

91) De dieb. judicat. S. II. p. 57. de morb. sacr. S. III. p. 309. de morbis S. V. Lib. I. p. 447. ibid. Lib. II. p. 462. 465. 466. 467. de intern. affect. S. V. p. 558. de morb. vulg. Lib. VI. S. 8. 54. Aphorism. VII. 40.

enim accidit, ut non magis organa proprie sanguifera, quam quae respirationi famulantur, hepate primitus affecto, pati videamus. — Quamobrem existimo, bina haec systemata adeo affinia nullo modo hic separanda, sed una comprehendenda esse. — In hepatitide lacessi diaphragma, tam Hippocrati quam recentiorum temporum scriptoribus clarissime innotuit 92). — Quamvis autem experientia doceat, in morbis viscerum abdominalium gravissimos dolores, spasmosque pectoris, tusses et al. saepissime occurrere, singulari tamen attentione dignus esse videbatur humeri praecipue dextri dolor, in plerisque hepatis vitio laborantibus obvius 93). — Non nescio quidem, queri Tissotium, multa hepatis sympathiae annumerari phaenomena, quae nullatenus dependeant a nervis, qualia sint jecoris male sani consensus cum liene, atque cum vitiis tam respirationis quam digestionis 94). Verum multo magis ob ampliorem

92) Aphorism. V. 58. VII. 17. conf. J. de Gorter med. Hippocrat. p. 638. 808. (Amstelod. 1755. 4.) Celsus l. c. p. 62. 215. Caesalpin l. c. p. 570. Van Swieten l. c. T. II. p. 266. T. III. p. 84.

93) Herculis Saxoniae med. pract. Lib. II. p. 8, d. (Frkf. 1610.) Frid. Hoffmann Sammlung ausserlesener Casuum. S. 267. 707. Hufeland l. c. p. 295. Sprengel inst. med. T. IV. §. 263.

94) Tissot l. c. §. 41. 56, 2.

ner vorum nexum jecoris cum liene, et organis chylopoëis sympathiam concedere cogimur, siquidem cum eodem auctore e sola conjunctione paris quarti nervorum cervicalium, quod ad humerum non minus, quam ad diaphragma et ad hepar mittit ramulos, humeri dolores explicare velimus ⁹⁵). — Sed enim vero parum ad hujus rei illustrationem nervulorum adeo quaesita distributio facere, et altius repetendus esse videtur humeri dolor, quem vix unquam solum adfuisse, respiratione manente libera, observatum est. — Anne semper liceat praesumere hepatis volumen auctum, quo diaphragma pulmonemque dextrum majorem premente sat commode utuntur plurimi, ut planiora faciant haec omnia levi negotio? — Spirituum difficultate in hepatitide acuta ob obstaculum in diaphragmate, et visceribus sub eo sitis, et tussi arida, clangosa vexatur aeger, quae manifesto sedem in hepate incitato, et tumido habent ⁹⁶). Similia etiam in hepatitide chronica ⁹⁷), in ulceribus hepatis ⁹⁸), in ejusdem scirrho ⁹⁹), in

95) Ibidem. — conf. *Wbott sämtliche practische Schriften*. S. 278. not. *.

96) Sprengel inst. med. T. IV. §. 263. conf. de Gorter l. c. p. 809.

97) Sprengel inst. l. c. §. 266.

98) Ibidem. §. 268.

99) Ibid. §. 269.

ictero ¹⁰⁰), in irritatione jecoris, cholelithis adducta ¹), dilucide manifestantur. —

Non igitur constantia haec in diversissimis jecinoris morbis phaenomena a fortuito hepatis tumore, neque solum a nervis derivanda esse videntur, sed potius a turbata semper in his morbis sanguinis venosi in hepate circulatione atque praeparatione, quibus quidem efficitur, ut, longe alio sanguine ad pulmones delato, totum respirationis negotium hebescat, compatiens scilicet omnibus, ut veteres ajunt, spiritalibus instrumentis ²). — Interdum etiam licet rarius in hepatitide, auctore P. Frankio, ad latus sinistrum percipiuntur dolores ³), ex quo posset inferri, hepatis viciniam atque diametrum dextri cavi pectoris perpendicularem minorem aliquid ad rem conferre ⁴). — Affert Cullen, in plurimis inflammationibus pectoris hepar non tantum supra modum augeri, sed etiam haud raro veram hepatitidem supervenire ⁵). Pro com-

100) Ibid. §. 571. 572.

1) conf. Tissot l. c. p. 450. 451.

2) conf. Galen op. om. T. VII. ad aphorism. Hipp. 16, 6. 17, 7. Amati Lusitani curat. med. Cent. V. p. 118 seq. (ed. Lugd. 1564.) Victor Trincavella l. c. de rat. curandi etc. p. 212, d. col. 2.

3) Epiome. Lib. II. p. 271.

4) Ibidem. p. 270.

5) *W. Cullen's Anfangsgründe der practischen Arznei-*

pertò habent auctores, adeo fallaciter convexae inprimis hepatis superficiei inflammationem nonnunquam pleuritidem, aut pneumoniam mentiri, ut non solum tironibus, verum etiam exercitatoribus, et veteranis errandi causam praebet 6). Legimus autem utriusque morbi perspicuam destinationem inter alios jam apud Amatum Lusitanum 7).

Huc etiam referenda est pneumonia biliosa, a Stollio optime descripta 8).

Maximam in lethalibus peripneumoniis vasorum abdominalium, hepatis inprimis repletionem frequenter detexit P. Frank 9).

Quinimo pergrandis in hepate abscessus ita fraudem imposuit medico, ut ante sectionem pathologicam, aegrum phthisi pulmonali peremptum esse, persuasum habuerit 10).

Tumores vero hepatis etiam circuitum sanquinis per cor turbant, ut vitia hujus organi,

wissenschaft. Leipzig. 1778. I. Thl. S. 261. Sprengel instit. l. c. §. 240.

6) Baglivi op. om. p. 88. Burserii instit. med. pract. Lips. 1798. Vol. IV. p. 465. conf. Hippocrat. coac. praenot. 383. 387. de morbis. Lib. III. S. 5. p. 495.

7) l. c. Cent. VII. p. 182.

8) conf. Henke specielle Pathologic. I. B. S. 593. Sprengel instit. l. c. §. 134. 249.

9) Epitome. Lib. II. p. 129. 140.

10) C. G. Vogel's Handbuch. 4r Thl. S. 362.

ipsaque mors subitanea ex enormitate cordis cum Testa possit hepatis vitiis adscribi 11).

Quippe invenit Testa in sectis ob morborum cordis suspicionem cadaveribus, praeter enormitatem cordis frequentissimam, plerumque etiam hepar solito multo grandius, colore pallidore, compactoque magis parenchymate. Vesicula autem fella formam oblongiorem, membranasque crasiores, tam hepati quam diaphragmati firmiter adnexas, monstrabat, bilem aut omnino nullam, aut amurcae sive glutini potius similem continens 12). — Ab atra bile et indurationibus hepatis haemorrhagiam oris, ipsumque vomitum cruentum deducit R. A. Vogel 13). Inter causas pneumonorrhagiae infarctus abdominales, inprimis hepatis P. Frank enumerat 14). Haemorrhagiae autem, docente Burserio 15), haud raro ictero supervenire solent. Congestiones aut stases inflammatorias sordibus biliosis per consensum excitari; unde oriuntur

11) Sprengel instit. l. c. §. 269. — conf. Vict. Trinacvella de rat. curandi etc. p. 153. b. col. 2. — Duret l. c. p. 322, 63.

12) Salzburger med. chirurg. Zeitung 1814. 3r B. Nr. 53. S. 10. conf. Duret l. c.

13) l. c. §. 266. 278. conf. Baglivi l. c. p. 78.

14) Epitome. Lib. V. P. II. p. 178. Burserius l. c. Vol. IV. p. 25.

15) Burserius l. c. p. 458.

haemorrhagiae, testatur Selle ¹⁶). Concordant omnes auctores, haemorrhoides originem trahere a viscerum abdominalium atque jecoris speciatim labe ¹⁷). Sic in hepatide chronica non rarae sunt haemorrhoides praepremis caecae: fluxu enim hoc intercepto nonnunquam hepatis adfectiones diuturnae sequi visae sunt ¹⁸). Etiam menostasia sive retentio menstruationis oritur tardo sanguinis motu per vasa abdominis, et stasibus sanguinis in vena portarum, unde inter alia provenit icterus ¹⁹); neque raro hepatitis solvitur uteri fluxu ²⁰). Bilem uterum infestantem variis prodi adfectionibus, praecipue mensium anomaliis, pluribus locis Hippocrates affirmat ²¹). At vero puto, neminem melius Frid. Hoffmanno rem meam defendisse, haec enim sunt illius verba: Ubi in viscere amplo, ut hepar est, sanguis crassior et rudior stagnat, tardiusque progreditur, complures graves mu-

16) l. c. p. 156. No. II. p. 162. 164.

17) Galen. T. VII. 11, 6. 12, 6. — Duret l. c. p. 205, 40. — Burserius l. c. p. 408. 463. 467. — Reil memorab. clin. fasc. IV. p. 85. 104.

18) Sprengel instit. med. T. IV. §. 266.

19) Sprengel inst. l. c. §. 440.

20) Burserius. Vol. IV. p. 470.

21) conf. de natur. mulieb. S. V. p. 583. de morb. mulier. L. I. p. 593. 594. 598. 599. 629. Ibid. Lib. II. p. 666.

tationes, et laesiones hinc inde in liquidorum motu, ac circulo contingunt, unde ingentes sanguinis, pro corporum dispositione, vel per venas haemorrhoidales, vel per vasa brevia in ventriculo, emulgentia in renibus, aut pulmonalia, vel per nares fiunt profusiones. Qua de causa omne fere immoderatum haemorrhoidum profluvium, pertinaces haemoptyses saepe recurrentes, narium haemorrhagiae, rejections sanguinis per superiora et inferiora, aut nimia sanguinis per uterum excretio, viscus in abdomine infarctum vel obstructum, aut alio modo male habens, pro causa agnoscunt. Ex majori impetu sanguinis ad cerebrum, et extravasatione apoplexia; si sanguis abdominis per spasmos ad pectus premitur, gravis inflammatio, vel suffocativus catarrhus, asthma oriuntur. Videmus exinde clarissime, hos morbos magis symptomata, et producta causae morbificae, quae in vitio viscerum haeret, dicendos esse. Unde etiam nec ulla medicina alia prius vinci possunt, quam per ea, quae labem hanc viscerum tollunt, et obstructa aperiunt. Quae cum aegerrime obtineri possint, hinc etiam plerumque medentis intentio eluditur ²²).

22) De consensu partium. §. VI. confer. Stollii aphorismi. §. 356.

III.

Hepatis in morbis sympathia, e systemate chylopoëo spectata.

Mox primordio ingenue fatendum est, tam dissertatiunculæ fines, quam tironis humeros multum superare hocce, quod titulus innuit, propositum. — Equidem meum hic esse non potest, immensum morborum et acutorum et chronicorum, quos hepatis bilisve vitiis imputarunt auctores, perlustrare agmen. — Datur enim in morbis plurimus (quod non infitiandum est) utique series phaenomenorum, quæ hepatis functiones cum toto digestionis processu arctissime junctas esse satis evincunt, inde ab initio tubi digestionis, ubi alimentis diminutis admiscetur saliva, ad ejusdem exitum usque, ubi faeces eji-
ciuntur. — Fusiora autem de his omnibus legendi cupidos non possum non relegare ad opera Hippocratis, Fr. Hoffmanni, Boerhaavi, Swietenii, de Haenii, Cullenii, Stollii, Richteri, Kaempffii, S. G. Vogelii, P. Frankii, Reilii, in quibus, præter alios, auctoribus pervolvens capita de febribus biliosis, gastricis, putridis, de diversissimis digestionis morbis, atque dejectionis alvinæ vitiis, de infarctu, ictero, vomitu, colica, cholera, de lienteria, fluxu hepatico et coliaco, de hypochondria, hysteria, chlorosi, hydropibus,

tympanite etc.: non pauca reperiet, quæ huc pertinent. Quocirca nemini mirum videbitur, haud multis abhinc annis, favente quidem constitutionis annuæ genio, talem floruisse theoriam, quæ morbis vix non omnibus hepatis sympathiam, indeque natam bilis corruptionem diversissimam, subesse opinabatur. Verum opus est specialia de his breviter adtingere. — Reprobat Tissot omnem circa anomalias digestionis, utpote quæ a nervis non dependeant, explicandi modum, a jecoris sympathia petitum²³⁾. Neque tamen prolata ab illo sententia solo spasmō ductuum biliferorum, emeticis aut purgantibus excitato, (quod sine nervis explicare difficile est) evinci posse videtur²⁴⁾. Nervorum enim sive plexuum gastricorum, ex illo plexu abdominis centrali orientium, (p. 20.) actionem ad bene peragendam digestionem perquam necessariam agnoscere num haesitabimus, cum tamen stimulis mere psychicis, principaliter jecur irritantibus, per consensum totum mox digestionis negotium perturbari in dies edoceamur? — In Synocha cholopoësi typhoque simili facile hepatitis, vomitus, et diarrhoea vel a bile effusa, vel a vicinitate hepatis accedunt; neque raro cardialgiam, colicam, et meteorismum

23) Tissot. l. c. §. 41.

24) Ibid. §. 35.

icterus excipit 25). Linguae labrorumque tremoribus evacuationes per alvum biliosas denuntiari jam monet Hippocrates 26). Hepatis irritatio saepius in cholera vomitum bilis viridi colore producit, quae tantae est acrimoniae, ut dentes hebetet, atque fauces corrodat 27). P. Frank notat, difficiliorem interdum hepatitis, in gastritidem facile transeuntis, ab hac ipsa distinctionem esse 28). Nonnunquam in hepatitis, ventriculo et duodeno in convesum tractis, vomitus biliosus et diarrhoea sese adiungunt 29). Hepatis inprimis consensus cum intestinis vel ex eo probatur, docente Rega, quod a colicis doloribus bilis copiosissimam profusionem in intestina contingere praxis in dies docet 30). Peculiarem duodeni consensum cum hepate ab insertionem ductus choledochi, qui chymo, chylo, succis inquilinis tactus hanc irritationem cum jecore communicet, deducit Reil, simul addens, motum peristalticum intestinum,

25) Reil memorab. clinic. fasc. IV. p. 80. 183. Joh. Wal. v. Hildenbrand über d. ansteckenden Typhus u. s. w. Wien 1810. S. 44. 46. 48. 60. 65. 91 seq. 101. 102. 235 seq. 243. Sprengel inst. T. IV. §. 474.

26) conf. coac. praenot. 240. p. 157. ibid. 645. p. 222.

27) Autenrieth's Physiologic. II. Tbl. S. 740.

28) Epitome. Lib. II. p. 241.

29) Bursarii instit. med. Vol. IV. p. 464. Stoll aphorism. §. 660. conf. Hippocr. de morb. Lib. II. p. 460.

30) l. c. p. 275. conf. ibid. p. 166.

ipsaque intestinis propria irritamenta hepar afficere, cum morbi intestinorum, cholera, diarrhoea, dysenteria etc. plerumque suos effectus ad jecur propagent 31). Proxime consentit cum ventriculo et tubo intestinali jecur, sicuti lien atque renes, unde ex horum viscerum affectibus nausea, vomitus, spasmus ventriculi, colica, enteritis procreantur 32). Verum etiam lienem organis chylopoëis annumerare liceat. Quae quidem de lienis functione opinio, etsi adhuc sub iudice lis sit, omnium verisimillima videtur, cum in animalibus, quibus lien excisus erat, pallidam bilem, phlogisto inopem, ejusque lymphaticam partem in grumos coactam inveniri, jam dudum experimentis cognitum est 33). — Hepatis autem cum splene sympathiam defendunt auctores fere ad unum omnes. Afferam primo hac de re Galenum, quamvis propositae ab illo rationi nemo nostrum, utpote meliori instructus anatomia, fidem habuerit 34). Jahiah Ebn Serapion, Syrus,

31) Memorab. clin. fasc. IV. p. 65. conf. Frid. Hoffmann op. om. T. I. p. 314. §. 27. Hippocr. coac. praenot. 465. Aphorism. IV. 24.

32) Hufeland's pathog. p. 295. conf. Fr. Trincavella l. c. de rat. curand. p. 161. 198. 212. — Frank epitome. Lib. V. P. II. p. 427. conf. Hippocr. de morb. Lib. II. p. 473.

33) conf. J. H. Schulze de splene canibus exciso. Hall. 1735. 4. Reil memorab. clin. fasc. I. p. 116. fasc. IV. p. 85. Walther Physiologic. I. B. S. 216. 223 seq.

34) Op. om. T. VII. 21. 4.

vitam degens clarissimam initio seculi noni, quamdam icteri speciem derivat a morbo organico lienis, quod huic cum hepate sit perpetua societas³⁵⁾). Magnam lieni cum hepate sympathiam tribuit Baglivi³⁶⁾. Atque H. Boerhaave, splenem inter et jecur mutuam tam in morbis, quam in sanitate dependentiam adesse in omni quidem circumstantia, testatur³⁷⁾. In ipsa hepatitide lien participatur doloribus, et observatum est, quod a veteribus jam fuit notatum, dolorem modicum lienis tumidiusculi, dum ad initium inflammationis jecoris accederet, avertere salubriter nimium sanguinis impetum in hoc irruentis, quod e mutuo utriusque visceris commercio declarandum est³⁸⁾. Constat praeterea, hepatis morbos saepius ad lienem transilire, vel etiam alternare utriusque visceris morbos³⁹⁾. Plerumque splenis inflammatio hepatitidi succedit, vel etiam in prioris adfectibus jecur compati solet. Sic non rarum est, ob-

35) Sprengel's Geschichte. II. Thl. S. 368.

36) Oper. omn. p. 373.

37) Instit. medic. Regiom. 1760. §. 350. No. 11. 12.

38) conf. S. G. Vogel's Handbuch. IV. Thl. S. 356. P. Frank epitome. Lib. II. p. 275. Sprengel inst. T. IV. §. 263. 267.

39) Hipp. de morb. vulg. Lib. VI. Sect. 2. 20. conf. Baglivi op. om. p. 372. Morgagni de sedibus et causis morborum epist. 36. No. 22—29. Walther l. c. p. 227.

durescere lienem, quod fere post lentam hujus visceris inflammationem contingit, quo facto hepar valde intumescere solet, contracto et minuto lienis volumine⁴⁰⁾. At vero praeter omnem opinionem, Frid. Hoffmannum lienis cum hepate sympathiam aperte palamque negasse, legimus⁴¹⁾. Qua de re cum P. Frankio in introductione epitomes profiteamur oportet, vanam esse, quae ex observationibus non deducatur, doctrinam. — Etiam Tissot, nimis sibi constans, rejicit vinculum sympathicum inter utrumque viscus, e nervis scilicet minime explicandum⁴²⁾. Verum tamen jam Th. Willis lienis cum hepate aliisque abdominis partibus consensum quaerit in plexu illo nerveo, lienem respiciente⁴³⁾.

Pancreatis morbos idiopathicos rarissime occurrere, et cognitu difficillimos esse, memorant scriptores. Jungitur enim naturali quadam societate, et anatomico et physiologico respectu, tam intime cum reliquis systematis chylopoëi organis pancreas, ut et hujus cum jecore

40) Sprengel inst. T. IV. §. 313. conf. Morgagni epist. 30. No. 14.

41) Oper. omn. T. I. p. 317. §. 38.

42) l. c. §. 41.

43) Cerebri anatome. etc. p. 197. conf. Vicussens Neurologia.

sympathia in morbis sane assumenda sit ⁴⁴). Exemplum praebet icterus, in ulceribus pancreaticis adparens ⁴⁵). — Juvat hoc loco inserere quaestionem, ab Autenriethio motam, licet physiologicam magis et supra afferendam: num fortassis temperamentum, ita dictum, cholericum longe alia, quam quae ordinario obtineat, pancreatis ad jecur ratione constituatur. Nempe succum pancreaticum dissolvere bilem, atque mitigare ipse arbitratur. Sed aliter alii sentiunt, nec eo perventum est, ut certi quid hac superre pronuntiare fas sit ⁴⁶). — Dureto auspice penes hepar est atrophia, et nutricatus depravatio in ejusdem valetudine adversa ⁴⁷). Neque minus de rhachitide haec valent ⁴⁸). — Porro notissimum est, in curatione arthritidis, consensu auctorum fere omnium, in primis vitiorum digestionis, atque sordium primarum viarum rationem habendam esse. Pari modo chlorosis atque hysteria ita frequenter incedunt, ut he-

44) conf. Henke *specielle Pathologie*. I. B. S. 651 seq.

45) Sprengel instit. T. IV. S. 314.

46) Autenrieth l. c. II. *Zhl.* p. 624. conf. Walter l. c. I. B. p. 214.

47) Interpret. et enarrat. in Hipp. *coac. praenot.* p. 407. ult. 408. 1. conf. Autenrieth's *Physiologic*. II. *Zhl.* S. 653.

48) conf. Rosenstein's *Kinderkrankheiten*, übers. von Murray. *Gött.* 1781. S. 567. Autenrieth l. c. S. 753. Sprengel instit. T. IV. S. 630.

patis functiones laesae abunde pateant ⁴⁹). Adfert adhuc Duret hepatitis et phthisis tuam conspirationem in aegroti perniciem, atque sympathicam earum generationem esse ⁵⁰).

IV.

Hepatis secretio, cum quibusdam aliis secretionibus quoad sympathiam comparata.

Tres prae ceteris secretionum species, quae cum hepatis secretionem evidentius connexae videntur, hic nominatim excipiendae sunt: nimirum secretio cutis, altera renum, denique illa, quam dicunt, systematis seroso-lymphatici. Credunt etiam multi auctores, hepar, renes et cutem stamina bilis in sanguine hospitantia evacuare, ideoque sibi persuadent, materiem biliarum, his excretionibus suppressis, sanguine retineri ⁵¹). — Vix tamen de ulla se- et excretionem legere est funestiora iis, quae de bilis atrae profluvio Hippocrates olim judicavit ⁵²).

49) Joerg's *Krankheiten des menschl. Weibes*. S. 202. 616 ad finem. conf. Frid. Hoffmann op. om. T. III. p. 312. S. 6.

50) l. c. p. 306, 37.

51) Frid. Hoffmann op. om. T. VI. p. 233. S. 11. Reil *memorab. clin. fasc. IV.* p. 84. Brandis l. c. p. 57.

52) Aphorism. IV. 22. 23. 24.

A) Hepatis secretio ad illam cutis.

Summa adparet inter utrumque organum ratione functionum analogia, quam, chemia et physiologia testibus, e partium constitutarum remotiorum comparatione concludere licebit. Namque dominatur, uti novimus, in vapore cutaneo hydrogenium, haud deficiente carbonico; contra vero in bile hydrogenio magis eminet carbonicum oxydatum ⁵³). — Bilem maxime vitari prohibita per corporis superficiem solenni evacuatione, adnotavit Frid. Hoffmann ⁵⁴). Difficulus sudare in morbis, quibus lien aut jecur scirrhus, aut alia de causa obstructum est, ob cutem in consensum tractam, profert Baglivi ⁵⁵). Transpiratio igitur suppressa inter causas numeratur a scriptoribus, quae bilem auget, atque acuit ⁵⁶). Tali quidem modo natura secundum sanguini sancivit purgatorium, scilicet transpirationem insensibilem, quae juxta ceteras suas functiones etiam eas e sanguine eluit biliosas particulas, quas jecinoris secretio reliquit ⁵⁷). Transpiratio

53) conf. J. F. John's chemische Tabellen d. Thierreichs. Berl. 1814. S. 2. 3. 9 seq. Walthers l. c. I. B. p. 218. 377. E. Fr. Burdach's Physiologie. Leipz. 1810. S. 363. 453.

54) Oper. om. T. VI. p. 159. §. 31.

55) Oper. omn. p. 375.

56) Reil memorab. clin. fasc. I. p. 35. Brandis l. c. p. 191. conf. Grant's Beobachtungen über die Natur und Heilung der Fieber. Leipz. 1791. I. B. S. 362.

57) Reil de polycholia. P. I. p. 62.

insensilis, et mador nocturnus actuosissimas bilis partes semper optime evacuant ⁵⁸). Etiam internae transpirationis functiones turbatae bilis generationi favent ⁵⁹). — Tempore digestionis transpirationem valde diminui, observavit Santorius ⁶⁰), quo tamen ipso tempore tam sequam excretionem bilis summopere augeri, jam supra (p. 29) allatum est. In Hypochondria, melancholia, et fere ex omnibus, quos dicunt, deprimentibus adfectibus, quales sunt timor, moeror, sollicitudo etc. imminuta cutis exhalatione, bilis secretio crescere videtur. Quare medici in medela atrae bilis animi exhilarationem melancholicis commendant, quae ex observatis Santorianis transpirationem facit vividior ⁶¹). Confirmat autem Hufeland, transpirationi refrigerio impeditae auctam vel mutatam bilis secretionem ita succedere, ut inde nascantur morbi biliosi ⁶²). Ad haec notum est, acida vegetabilia, et salia sic dicta media, quae bilis restringunt secretionem, ad eliciendam cutis perspirationem non parum facere. — In morbis vero praesertim

58) Raymond diss. de febr. intermitt. autum. in Baldinger Sylloge. Vol. I. p. 28.

59) Reil de polycholia. P. I. p. 78.

60) Bichat l. c. II. Thl. II. Abthl. p. 50.

61) Reil de polychol. P. I. p. 77. Ibid. P. II. p. 102.

62) Pathogenie. p. 307. conf. Raymond diss. citat. Brandis l. c. p. 8.

acutis organorum aegrotantium vim sympathicam cutis facillime sentit ⁶³). Atque monet P. Frank, imperium viscerum abdominis in cutem, ac istius in illa vel e sola jam continuitate substantiae, nec minus e mutuo consensu nervorum spinalium, qui ad singulas vertebrae in ganglia confluunt, erui posse ⁶⁴). Sed variis persaepe modis cutis cum hepate consensus manifestatur. — Primo quidem hic occurrit icterus, quadruplex secundum Hippocratem ⁶⁵), cujus in jecore sedem esse primariam, omnis aevi scriptores unanimiter professi sunt ⁶⁶). Cutis vero transpirationem hoc in morbo heterogeneis partibus inquinatam evidenter color odorque produnt; neque temerè suspicandum erit, colorem quoque faciei, in morbis gastricis flavescens, ab hepatis vitio derivandum esse, quod tamen ob levitatem suam ictero gignendo videtur impar ⁶⁷). Signat icterus s. morbus arcuatus vel pigmenti biliosi abundantiam in sanguine, et vicariam in cute secretionem, vel he-

63) Bichat l. c. I. *Thl.* I. *Abthl.* p. 162.

64) Epitome. Lib. III. p. 9.

65) De affect. internis. S. V. p. 551 seq.

66) conf. Aphorism. VI, 42. Galen. T. VII, 62, 4. Cel-
sus. Lib. II. p. 74. Lib. III. p. 176. Frid. Hoffmann op. om.
T. III. p. 303. §. 13. Bichat l. c. I. *Thl.* II. *Abthl.* p. 202.

67) Henke allgem. Pathologic. S. 500. — Bichat l. c. —

patis inflammationem, Sprengelio iudice; sed nullo in sanguine bilis pigmentum admitti posse evincit Brandis ⁶⁸). Per consensum saepius agunt ad icterum producendum exanthemata haud satis perfecta, torquetur etiam in illo cutis arida, et tensa interdum prurigine et rosionibus ⁶⁹). — Stoll speciem enumerat pleuritidis, cum biliosa colluvie foederatae, quae fere sola diaphoresi iudicabatur ⁷⁰). Ex bile, et a saburris in primis viis copiosius collectis erysipelas persaepe originem habere et ratio suadet, et experientia confirmat, docente P. Frankio ⁷¹). Erysipelata habitualia et biliosa, a mero hepatis infarctu oriunda, affert Reil ⁷²). Verisimile Pfaffio videtur, erysipelas guttamque rosaceam morbos idiopathicos non esse, sed potius illos adscribi debere actioni cutis, pro turbatis tam jecinoris quam organorum chylopoëorum functionibus intercedentis ⁷³). — E fonte igitur bilioso cutis quidem hinc inde aut per consen-

68) conf. Sprengel inst. med. T. IV. §. 570. Brandis l. c. p. 168. 171. J. F. John's Chemische Tabellen des Thierreichs. S. 32.

69) Sprengel inst. l. c. §. 273. 571.

70) Ratio medendi. T. I. p. 105.

71) Epitome. Lib. III. p. 48. conf. Frid. Hoffmann op. om. T. VI. p. 159. S. 31.

72) Memorab. clin. fasc. I. p. 116.

73) Grundriß der Physiologie etc. S. 121. conf. G. Richter's Wunderarzneikunst. I. B. S. 176.

sum afficitur, aut infenso humore inundatur, quamvis justo saepius a medicis in hepate insonati omnis reponatur impetiginum culpa ⁷⁴). — Attamen concedendum est, nil vulgatius esse erysipelate ex iracundia nato, et, ni evacuanti-bus tractetur, in ulcus abituro. — Neque desunt exempla exanthematum (variolarum, rubeolarum, scarlatinae, et miliaris sordibus biliosis excitatorum, aut febrem biliosam excipientium ⁷⁵). Quid, quod adeo frequenter observarunt medici in erysipelate jecur condolescere, ut biliosum erysipelas, velut peculiarem speciem, olim stauerent. — In hepatitide chronica interdum erysipelas ortum salubre fuit, nec rarum est in tropicis regionibus eo modo choleram solvi, ut erysipelas in cute accedat ⁷⁶). Chronicorum autem ulcerum pervicaciae haud raro subesse obstructiones viscerum abdominalium, et inprimis hepatis adfectus, praeclearissimorum hac de re iudicium, Hippocratis ad Richterum usque, testimonio comprobatur ⁷⁷). Tantus enim est

74) P. Frank epitome. Lib. IV. p. 30. 147.

75) Sprengel inst. med. T. IV. §. 134. 272.

76) Sprengel l. c. §. 267. 322. 422.

77) conf. Hippocrat. de loc. in hom. S. 4. p. 418. de morb. Lib. II. S. 5. p. 462. de affect. S. 5. p. 525. de fractis. S. 6. p. 775. 30. *H. G. Richter's Anfangsgrunde der Wundarzneikunst.* I. B. §. 701.

consensus inter hepar et cutem, ut raro, sub gravioribus et diuturnis adfectibus cutaneis, illaesus occurrat, quod autopsia anatomica docet, praedictum viscus ⁷⁸).

B) Hepatis secretio ad secretionem renum.

Singularem inter functiones utriusque organi existere nexum, non solum opinati sunt veteres, sed etiam in praxi ejusdem habuere rationem. Loquiter enim jam Thomasius Erastus, Paracelsi antista celeberrimus, de humoribus, quae ab hepate ad renes translatae, per revulsoriam in pede factam venaesectionem, a parte possint derivari, cui malum minitaretur ⁷⁹). — Cum vero non ita multo post Paracelsum quaestio moveretur a multis medicorum, quae controversiarum per sat longum tempus ansam praebuit, quid de uromantia habendum sit; tunc complures, non omnium quidem morborum sedem ex inspectione urinae, sed tamen morbos jecoris atque renum inde dignosci posse, affirmarunt ⁸⁰).

78) J. Lieutaud Synopsis univers. prax. medic. p. 422. Amstelod. 1765.

79) Th. Erasti disputat. et epist. medic. disp. X. f. 12, A. (ed. Tigur. 4. 1595.)

80) conf. Sprengel's Geschichte. III. B. C. 196 — 291.

Amborum etiam organorum consensuale vinculum agnovit Forestus, adjiciens, urina tam jecur quam renes purificari⁸¹). Andreas Laurentius sympathiam hepatis et renum in continuitate peritonaei quaesivit, qua quidem causa refutata doctissimus, ceteroquin valde contentiosus, Riolan de hac sympathia potius e plexu nervoso Falloppiae, qui renibus interjectus est, explicanda, more suo rixatur⁸²). — Notabilem bilis portionem in morbis per urinas perfluere, notat Frid. Hoffmann⁸³). Tingitur autem urina in ictero pigmento proprio, quod vel illud ipsius bilis est, vel hujus certe analogum⁸⁴). In aliis contra morbis, ubi hepar saepe aegrotat, v. c. in melancholia, hypochondria, hysteria etc. urina pellucida s. aquosa magis excernitur. — Inflammationes viscerum abdominalium constanter ischuria junctas esse satis notum est. Dolores vero in hepatitide nonnunquam sedent in rene dextro⁸⁵). — Praeterea in omnibus omnino hepatis adfectibus lotii

81) Forest. de incerto urinar. judicio. Lib. I. c. 5. p. 180 (ed. Frkfrt. 1610.)

82) Riolani op. anatomica. p. 661.

83) Opera omnia. T. I. p. 69. §. X. conf. Finke de morb. bilios. anomal. in comit. Teklenb. p. Go. Monast. 1780. conf. Hippocrat. de dieb. judicat. S. II. p. 58. de morb. Lib. II. p. 472. 473.

84) conf. John's Chemische Tabellen des Thierreichs. S. 41. — Walther Physiologie. I. B. S. 417.

85) Sprengel anat. I. c. §. 247. 263.

tam se-quam excretio proprii quid habet, sic v. c. in hepatitide acuta, chronica, ictero, scirrhus, et ulceribus jecoris⁸⁶). Si ren dexter patitur, ob viciniam hepatis vomitus porraceus, nervorum distentiones, et spirituum difficultates oriuntur, quae omnia etiam locum habent in primariis hepatis adfectibus. — Hepatitidis tropicis magis familiaris regionibus nonnunquam ita inchoat, ut absque hepatis adfectibus pubis regio doleat, urina spasmis intercipiatur, sectum cadaver exhibet hepar injens, tumidum, exulceratum⁸⁷). Memorant Baglivi et R. A. Vogel, saepius cholelithis infestari, qui calculis nephriticis laborant⁸⁸). Ipsis etiam spasmis, quos calculi renales excitant, non raro systema biliarium in consensum ducitur⁸⁹). Similem autem ductibus biliaribus irritabilitatem ureteres possidere, monet Autenrieth⁹⁰). — Ad producendam bilem pariter faciunt, teste Reilio, systematis uropoëi vitia⁹¹). Denique Mead in diabete mortuis semper aliquid steatomatosi referre hepar in-

86) Ibid. §. 134. 262. 263. 264. 266. 267. 269. 571.

87) Ibid. §. 265. 299.

88) Baglivi op. om. p. 434. R. A. Vogel l. c. §. 457.

89) Rahn dissert. citat. p. 343.

90) Physiologie. II. Thl. §. 814.

91) Reil de polychol. P. I. p. 78. Ejusdem memorab. clin. fasc. IV. p. 85.

venit, ex quo etiam intulisse eundem novimus, diabetem non renum, sed potius jecinoris morbum esse ⁹²).

C) Hepatis secretio ad illam systematis seroso-lymphatici.

In sympathia conjunctionem partium, per vasa seroso-lymphatica effectam, respiciendam esse, proposuit Delius ⁹³). — Facillime autem aliorum organorum v. c. cordis, pulmonum, ventriculi, hepatis, lienis, uterique adfectus in consensum trahunt membranas, quae dicuntur serosae. Quamvis enim ex horum organorum functionibus non possit hucusque plane demonstrari, quo illae cum superficiebus serosis nexu teneantur, nihilominus talem agnoscere consensum mutuum cogimur, quo magis experientia constat, istarum partium laesiones ultima morbi periodo excipi variis seri inundationibus in majoribus corporis cavis. Propiores tamen organo adfecto membranae serosae eo citius hanc experiuntur sortem; tali quidem modo intumescunt hepatis sequitur ascites. Sed etiam hydatides in jecinoris convexa parte adeo fre-

92) Mead monita et praecepta medica. p. 100. Paris. 1757. conf. Mechanical account of poisons. Essay I. edit. 4. 93) Dissert. citat.

quentes, adipalis jecoris conditio, et, quae sectio pathologica saepissime docet, steatomata huc sine dubio referenda sunt ⁹⁴). Quippe vasorum lymphaticorum, quae superficiem et interiora hepatis petunt, tanta copia est, ut injectio feliciter instituta veluti lamina argentea obductum repraesentet organum. Haec vero facilitas, ignota aliis partibus, transmittendi hydrargyrum in ramulos vasorum usque subtilissimos valvulas eorum docet minus resistere, talique vasorum structura, jecoris parenchymati compacto accommodatiori, non parum illustratur, quam facile hujus visceris obstructiones non solum turbare venae portae cursum, sed etiam ascitem procreare valeant ⁹⁵).

Multa co us senex de jecoris et a jecore hydrope subministrat perscrutantibus, unde aliquos excerpere locos haud inutile duco ⁹⁶). In hydrope uteri jecur affectum esse posse, memorat Celsus ⁹⁷). Hydropem ex obstructione he-

94) Bichat l. c. II. *Zhl.* II. *Abthl.* p. 84. 87. 105. Walther. I. B. p. 343. conf. Brandis l. c. p. 109. 110.

95) *Autenrieth Physiologie.* II. *Zhl.* S. 650.

96) Praenot. S. II. p. 39. coac. praenot. 452. p. 190. de affect. S. 5. p. 522. de intern. affect. S. 5. p. 545. Aphorism. VII, 55.

97) Lib. III. c. 21. p. 165. conf. Trincavella de rat. cur. part. corp. affect. p. 212, c. col. 2. Duret interpr. et enarrat. p. 464, 1, 2.

patris derivandum, morbumque sympathicum esse, iudicat Serenus Samonicus⁹⁸). Similiter Aëtius Amidaeus e frigida jecinoris affectione hydropem deducit⁹⁹). Ejusdem morbi incusant hepar tantummodo refrigeratum per consensum, aut illius frigidam intemperiem Caesalpin et Bontius, quorum prior ascitem ex hepate, illo ex liene, periculosiorem habet¹⁰⁰). Rarior est tamen, teste P. Frankio, hepatitis in hydropem acutum exitus, sub quo absque ullo puris indicio externam hujus visceris membranam inter et parenchyma hepatis collectio aquarum detegitur¹). Sed abscessus hepatis, immutabiles diu persistentes, vix avertendi hydropis causam in se continere, adseverat R. A. Vogel²). Hepatis tumores et abscessus, stases sanguinis in vena portarum, quibus vasa lymphatica comprimuntur, aut vasorum absorbentium functio vitatur, frequentem praebent causam, qua hydrops cietur³). Quamobrem in causis hydropum generalibus indagandis ratio praeprimis

98) De febribus carmina. c. 27. v. 498 (ed. Akermann.)

99) Tetrabibl. Lib. III. serm. II. c. 20. col. 534.

100) Caesalpini prax. univ. p. 585. 589. Bontius de med. Ind. p. 146.

1) Epitome. Lib. II. p. 278.

2) l. c. §. 222.

3) Sprengel instit. med. T. IV. §. 269. 577.

habenda est absorptionis, impedimentis quae nititur saepissime viscerum abdominalium, adsimulationi inservientium plerumque labe; atque saepe accidit, ut post mortem hydropicorum bilis glutinosa inveniatur, albumini similis et iners⁴). Frid. H. ffluann confidenter, ait, asserendum esse, hepar maxime in ascite praeter naturam reperiri adfectum, et male constitutum, id quod satis demonstrant cadaverum sectiones ab eodem allatae⁵). Anasarcam ex hepatis vitio saepissime originem ducere, inde ab Hippocrate fere omnes attestantur auctores. — Nonnulli velut signum hydropis, e morbo jecore pendens, pathognomonicum habere tussim vehementem, sed inanem, a Coo jam observatam, quae in aliis hydropum speciebus vix, aut raro adpareat⁶). —

V.

Quod extremum mihi proposui, liceat adpendiculae instar tenui superaddere libello, pu-

4) Ibidem. §. citat. ultim. conf. Burserii inst. med. pract. Vol. IV. p. 156. Selle Liber de curand. hom. morb. p. 259. No. 1. 6.

5) Oper. omn. T. III. p. 325. §. 16.

6) Baglivi oper. omn. p. 343. conf. Hippocrat. praenot. S. II. p. 39.

ta sympathiam hepatis in morbis cum artubus. — Observavit autem jam Hippocrates, humerorum dolores, qui ad manus tendunt, torporesque, et dolores exhibent, nullo abscessu sequente, bilis atrae vomitione sanari 7). Eadem Celsus profert, adjungens alio loco, in hepaticis etiam torpere nonnunquam manum dextram 8). Baglivi abscessus latentes hepatis per intolerabiles cruris aut surae dolores, nullis remediis cedentes, manifestari narrat, cujus rei testes affert Hollerium, Jacotium et Bauhinum 9). — Bis Whytt e jecinoris suppuratione brachii atque cruris in latere dextro debilitatem et rigorem animadvertit 10). In inflammationibus atque indurationibus jecoris dolorem humeri non solum ad artus dextri lateris propagari, sed vere nonnunquam hujus lateris plenam immobilitatem produci, Hafeland commemorat 11). Dolores in hepatitide acuta transeunt etiam in suram dextram, quae cum brachio dextro interdum stupere solet, et torpere. Pariter in hepatitide chronica scapulae elatae cum brachiis

extenuantur, frequenterque stupent, pedes etiam marcescunt, surae dolent, spontanea interdum ulcera in suris et malleolis nascuntur, nullis artus praesidiis debellanda, nisi quae adversus jecinoris labem efficacia sunt. Neque minus in ulceribus hepatis dolores queruntur in scapulis et pedibus; dextri brachii stupor, et inflatio accedunt 12). Adhuc Sprengel affert non absonam indigenarum curationem, quam moxae ope in cholera tropicarum regionum (vulgo mortem caninam, mort de chien, mal de terre nominant) instituunt, ut, cum hepatis adfectiones cum surarum ulceribus germanitate quadam nectantur, stimulo igitur fortissimo per consensum orto, possit incitatio jecinoris amoveri 13).

12) Sprengel instit. medic. T. IV. §. 263. 266. 268.

13) Ibidem. §. 422.

7) Praedictor. Lib. II. S. II. p. 112.

8) De medicina. Lib. II. c. 8. p. 69. Lib. IV. c. 8. p. 213.

9) Opera omnia. p. 217.

10) *Sämmtliche practische Schriften.* S. 263.

11) Pathogenie. p. 295.

T h e s e s .

I.

Physiologiae est, neque corpus humanum, neque ejusdem organa per se considerare.

II.

Non autem fit medicus studio medicinae, nec multa videndo.

III.

Differunt inter se curare et mederi.

IV.

Non datur cura sine noxa.

V.

Et abundare et egere nos remediis, affirmari potest.

VI.

Frigus aequè ac calorem potentissimis remediis annumerare debemus.

VII.

Insignis in magnetismo sic dicto animali sympathia elucet.

VIII.

Examen aegroti longum, diagnosis certa, et

formulae breves magnum denotant medicum.

IX.

Curas sic dictas vernaes, et consultationes ad lectum aegroti medicas sanior merito rejicit therapia.

X.

Indirecta curandi methodus sola febribus convenit.

XI.

Inter lithiasin et arthritidem magna intercedit similitudo.

XII.

Emenagoga reprobanda sunt.

XIII.

In ulceribus curandis medicina chirurgiae facem praeferat necesse est.

XIV.

Sectura hydroceles reliquis antecellit operationibus.

XV.

An chemia sic dicta corporum organicorum, medicis commendanda, securam arti medicae normam praestet, valde dubitandum est.
